


JO. SCHRADERI

LIBER

EMENDATIONVM.



LEOVARDIAE,
Apud H. A. DE CHALMOT, MDCCLXXVI.



JO. SCHRADERVS
ERVDITO LECTORI

S. D.

Non dubito, quin multi ſaepe mecum mirentur, *Burmannum*, cum vehementius in *Bentlejum* inveheretur (in praefatione ad *Phaedrum*), cum alia, tum haec, ante annos ferme quinquaginta, ſcripſiſſe: „ Ut tamen verum fatear, aliquem quoque in hoc malo, & emendandi
„ omnia pro arbitrio cupiditate & morbo, uſum eſſe
„ deprehendi; immo gratias etiam a me novae hujus
„ disciplinae conditoribus habendas lubens agnosco.
„ Exhauſta enim dudum omnis commentandi ratio vi-
„ debatur, nihil fere induſtriae poſterorum reliquerat
„ priorum interpretum induſtria. Tot editiones om-
„ nium Latinorum ſcriptorum cumulatae, tot codices
„ manu exarati undique collecti, excusſi, excerpti,
„ tot notis & commentariis, & ſeparatim editis, & in
„ unum collatis, illuſtrati Scriptores exierunt, ut ni-
„ hil vel certe parum novae diligentiae in hac ſtudio-

„ rum parte, ſupereſſe diu ſit viſum. —— Nihil ergo „ viris etiam induſtriis & doctis hodie relictum eſt, qui „ Furum & Compilatorum exempla ſequi nolint, niſi „ ut, - illos, qui novos nobis auctores recudunt, & „ pro acumine ingenii ſui lectiones diverſas a prioribus „ in ipſum contextum inducunt, & refutandi & anti- „ quas lectiones adſerendi partes ſuscipiant. — „ Etenim ſagacibus hominibus etiam nunc

materiae tanta abundat copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

Quam vera dicam, vel ex hoc intelligi poteſt. Satis conſtat in eo maxime nobiles elaboraſſe Criticos, ut poëtarum ſcripta vulgarentur emendata: tantum tamen abeſt, ut omnia librariorum vitia correxiſſe videantur, ut jactari nondum queat, eos inſignia in modis ſyllabarum vitia ſuſtuliſſe. Quod ne quis in dubium vocet, aut fortasſe neget, exempla ſupponere non gravabor.

Magnis nuper plauſibus, magnaque approbatione conplures *Orphei* Carmina, quae *J. M. Gesnerus*, vir optime de literis meritus, & ipſa ſenectute venerabilis, in vulgus ediderat, exceperunt: hujus tamen generis menda prope innumerabilia (non loquor ὑπερβολικῶς) in iis relicta ſunt; ut Argon. v. 13. Καὶ Κρόνον ὃς ἐλόχευσεν-, cum *Voſſii* liber, in bibliotheca Leidenſi ſervatus, & a me juvene verſatus, ὢς, offerret; & 257.

Ἀργὼ πεύκῃσίν τ' ἰδὲ δρυσὶν γομφωθεῖσα.

licet

licet *Pierſonus* & *Ruhnkenius*, ab editore laudati, correxiſſent, ἠδὲ; & quivis hoc amplius corrigat, ὄρυσι. Contra manere paſſus eſt in v. 275. Τοῖσι δ' Αἰσονίδης, cum liber idem, τοῖσιν, exhiberet. v. 546. dedit:

Δοῦναι ὑποχθονίοισι καὶ δάκρυα λειβέμεν ὅσσων.

ſed vel aurium cauſſâ dare debuerat, ὑποχθονίοις. v. 781. ἐϋῤῥύτου ποταμοῖο, pro, ἐϋῤῥείτου, quod in optimo libro repererat. v. 834. Οὐδέ τι δὴ νώνυμοι-, pro, νώνυμνοι. 958. ἰδὲ στρόυθιον ἔμιξα. Nos fidei magnae codici credimus, in quo ſcriptum invenitur, ϛρουθεῖον; nec dubitamus, quin pariter emendanda ſint, φύλλιον ἀειδὲς v. 959. Ἑρμιονία 1134. & ſimilia paſſim relicta. v. 941. vulgatur: γουνάσωνται. Lex carminis, quam Critico notam eſſe oportebat, corrigere jubet, γουνάζωνται. v. 968.

Καίετο δ' αὐτίκα βόθρος, ἐσμαράγει δ' ὀλοὸν πῦρ.

Ego vix dubito, quin a poëta ſcriptum ſit, ἐπεσμαράγει. Nam pariter in *Voſſ.* v. 1089. ἐτείρετο, pro, ἐπετείρετο, reperitur; in aliis 396. ἐτέρπετο, pro, ἐπετέρπετο.

v. 974. Vir clariſſimus edidit: Τρισσοκέφαλος ἰδεῖν. Ego correxeram: Τριττοκάρηνος. Mecum facit, niſi memoriola vacillo, *C. G. Heynius* ad *Virgilium*.

1254.

Νῆα δ' ἄρ' αὐτόθι οἱ κατέσχεν ῥόος, οὐδέ μιν εἶα
Προπροθέειν, οὐδ' αὐτίκ' ἀναδύσεσθαι ὀπίσσω.

Liber tamen praeſtantiſſimus, congruentia verſuum legibus,

gibus, offerebat, κάτεχεν, &, ἀναῤῥώσεσθαι. Nec minores maculae permanſerunt in 1279.

Καὶ ῥ αἴγδην διεσκέδασεν κατ' ἀπείρονα πόντον.

Equidem feliciter Obſerv. p. 78. ſic eas elueram:

Καὶ ῥα καταΐγδην σκέδασεν.

Gesnerus tamen, de, διεσκέδασεν, ſecurus, miſere laborat in, αἴγδην.

Hymn. VII, 13. legitur:

Αἰθαλὶς, ἀμίαντε, χρόνου πέρας.

Fallor? an poëta ſcripſit, Αἰθαλόεις. Editori placebat, Αἰεθαλής. VIII, 6. in pervulgatis libris eſt:

Ἠλεκτρὶς, βαρύθυμε, καταυγάστειρα, νυχία.

In *Vosſiano*, νυχεῖα. Recte. Similis itaque ſimilibus adhibenda eſt medicina; veluti, σπέρμιε, XXXIII, 3. &, σπερμία, XXXIX, 5. quae prope pudet memorare.

XXXVII, 16. etiam nunc habetur:

Ὀλλύντες βίον καὶ κτήματα.

Ipſe tamen olim, βίοτον, Obſerv. p. 76. correxeram.

LXVII, 7.

Εὐθαλὴς, εὐκταιοτάτη.

pro, Εὐθαλλής. Θα corripi notum eſt vel ex Argon. 910.

910. Δένδρεσιν εὐθαλέεσσι κατάσκιον. Aliter tamen *Gesnero* videbatur ad Argon. 746. ſed corruptis locis decepto.

De Lapid. Ὑποθ. v. 65.

Ἔρχομαι εἰς ἀκρόρειαν ἄγων χορὸν ἡδὺν ἑταίρων.

vel, ut Al. ἀκρώρειαν, pro,

Ἔρχομ' ἐς ἀκρώρειαν, —

ut xx, 16.

Νῶϊ δὲ ποιήεσσαν ἐς ἀκρώρειαν ἰοῦσι.

xi, 37.

Χρὴ δὲ σε τετληότι νόῳ —

pro, τετληῶτι. ibid. 39.

Ἐκ χερὸς οὖδας δε βαλὼν,

pro, Ἐκ χείρων. ibid. 46.

Σοὶ δ' ἔτι καὶ σθένος ἄλλο σιδηρίταο πιφαύσκω.
Ἑρπετῷ γὰρ δὴ πάμπαν ὑποτρομέοντι ἔοικε.
Σεῖο δ' ἔχεν πολὺ μεῖζον ἀκοιμητόν τε νόοιο
Δεῖμα Φιλοκτήτης.

Ipſa tamen res, & carminis lex corrigere jubent:

Ἑρπετὰ γὰρ δὴ πάμπαν ὑποτρομέοντι ἔοικας.

Nihil enim prorſus tribuendum praecipienti *Gesnero:* „ Cor-

„ Corripienda inter ſcandendum vox, ἑρπτῷ. „ ib. v. 86. edidit:

Γλώσσῃσιν μεμάασι περισαίνειν, σκύλακες ὥς.

pro, περισσαίνειν.

XII, 13.

Καπνὸν, ὑπὸ σπλάγχνοισιν ἀίσσοντα δέχηται.

pro, ἀναΐσσοντα.

XIV, 7.

Μέτρῳ δ' ὅς κεν μίξειεν ῥοδόεντι ἐλαίῳ,
Βάψας ἐκ πυρὸς ὀπὸν, ἐναυχενίαις ὀδύναισι
Ἄλκαρ ἄγει. μέλιτος δὲ μετὰ γλυκεροῖο κερασθεὶς,
Ὕδατος ἀτηρὴν ὀλέκει κατὰ γαστέρος ὕλην.

Sed, mihi crede, ſcripſit auctor, ὀπτὸν — ἰλὺν.

XV, 2. reliquit,

Καὶ Περσηΐδαο μένος μέγα κουραλίοιο.

pro, Περσηϊάδαο.

v. 57.

Ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν αἶψα θοαὶ πόντοιο θύγατρες
Αὔθρον ἐπεσσύμεναι θάμνοις περιπήγνυον Ὧραι.

pro, σφίσιν. Sed graviore morbo poëta laborat. Horis enim nullus in hac de curalio fabella locus eſt. Quid? quod Hymn. XXXXII, 1. dicuntur,

θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος.

Ne

Ne multa: reſtituo,

περιπήγνυον Αὖραι·
Πήγνυον ὥςτέ σε πάγχυ λίθον ςτερεὴν οἴσασθαι·
Οὐδέ τ' ἔην οἴσασθαι, ἐπεὶ στερεὴ λίθος ἦεν.
Ἐκ δ' ὄλεσεν βοτάνης ὑγρὸν δέμας.

Appoſitus ad medicinam probandam locus eſt *Ovidii* Metam. xv, 416.

Sic & curalium, *quo primum contigit* auras
Tempore, dureſcit. mollis fuit herba ſub undis.

Ut autem πόντοιο θύγατρες hic vocantur Αὖραι, ſic *Eurip.* Hecub. v. 444.

Αὖρα, ποντιὰς αὖρα.

& Hymn. LXXX, 1.

Αὖραι ποντογενεῖς, Ζεφυρίτιδες.

ib. v. 93. legitur in editis libris:

Ἀμφὶ περὶ σταχύεσσι περισυνέχουσα κάθηται.

in Reg. convenientius metro, περισμυχοῦσα.
XVIII, 50. vulgatur:

Τοῖο δ' ἕκητί μ' ἐκεῖνος ἀμοιβαδὸν ἀρέσσασθαι.

Sed a poëta ſcriptum fuit, ἀμοιβήδην ἀρέσασθαι.
ib. 71.

Τοῦ δὲ διαμελεϊστὶ δαΐζειν ἐννέα μοίρας.

pro, διαμμελεϊστὶ. v. 91. - κορέννυσθαί τε μεμαῶτας. pro, κορέννυσθαι μεμαῶτας; quod liber Reg. ſuppeditat. Omitto cum alia, tum, Κείνοισι μερόπεσσιν (Argon 1125.),

Φάρμακα, μὴ μοῦνον ὄφέων κατένωπα δύνασθαι

(Lapid. XI, 120.), &, γλυκερῷ μέλιτι δὲ οἰάνας (XVIII, 28.); quae quivis in, Κείνοισιν, μούνων, &, μέλιτι γλυκερῷ, mutet; ἔπορε καὶ, Argon. 188. Δὴ τότ' ἄρα κατὰ θυμὸν 887. &, Εὐρυβία Πηλῆα, 1259. ſpreto magnae fidei libro, qui dabat, ἔπορεν, Δὴ τότε οἱ, &, Εὐρυβίην, relicta, praetereo: non quia non vitia ſunt; ſed quia defenſores forte ſyllabas breves ob caeſuram ſaepe produci dicent, & ad inſigniorem maculam delendam feſtinat animus.

Ea penitus inſedit in libello de Lapid. XI, 48.

Σεῖο δ' ἔχεν πολὺ μεῖζον ἀκοίμητόν τε νόσοιο
Δεῖμα Φιλοκτήτης, μεμνημένος αἰὲν ἐχίδνης.
Τοὔνεκα Παλαμήδαο σαόφρονος οὔποτε νόσφι
Ἤθελεν εὔχεσθαι, γουνούμενος, ὄφρα τιν' εἴποι
Θαλπωρὴν, εἴπέρ ποτ' ἐπὶ χθόνα μητέρα θηρῶν
Ἔρχηται, πῶς κεν πολιὸν γένος ἐκπροφύγησι.
Τῷ δ' ὅγε Λητοΐδην ἐπέων ἐπιμάρτυρα Φοῖβον
Κικλήσκων ἀγόρευε, τὰ δὴ νῦν σοι καταλέξω.
Εὖτέ με παῖδ' ἐδίδασκεν Ἀκερσεκόμης ἀγορεύειν
Μαντοσύνας, μέγαν ὅρκον ἐκέκλετο πρῶτον ὀμόσσαι,
Ψευδέα μήποτε μῦθον ἐνισπεῖν ἀνθρώποισι·
Τοὔνεκεν ἀτρεκέως μάλα τοι ἐρέω τὰ ἕκαστα.
Φράζεο νῦν, Ἥρως ἑκατηβόλε, μῦθον ἐμεῖο.
„ Αὐτὴ γαῖα μέλαινα πολυκλαύτοισι βροτοῖσι
Τίκτει καὶ κακότητα καὶ ἄλγεος ἄλκαρ ἑκάστου.

Quip-

Quippe, Παλαμήδης, prima ſyllaba brevi, tertia longa, ſemper effertur. Erunt forte, qui, Ναυπλιάδαο, corrigant. Sane *Naupliaden Ovidius* vocavit Metam. XIII, 39, 310. & in Ibin 621. Sed nec illud ferri poteſt. Quis enim Palameden vatem fecit Apollinis inſtitutionibus eruditum? Ne plura: corrigo,

—— Πριαμίδαο σαόφρονος —— ——

Heleni prudentis. Hic *Priamides* vocatur ab *Homero* Il. N, 586. ut Πριαμίδης Ἕλενος Il. Z, 76. & *Priamides Helenus* a *Marone* Aen. III, 376. & 295. Hic ſumma prudentia, & ſapientia clarus fuit. *Pauſan.* v, 12. p. 435. *Iſaacius Porphyrogenn.* apud *Rutgers.* Var. L. v. p. 514. Hunc vatem fuiſſe celeberrimum conſentiunt *Cicero* de Divin. I, 40. *Philoſtr.* Heroïc. cap. 16. *Sophocles* Philoct. 621, 1379. *Homerus* Il. Z, 76.

Πριαμίδης Ἕλενος, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος.

& *Virgilius* Aen. III, 474, 433.

Praeterea, ſi qua eſt Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate Deâ, proque omnibus unum
Praedicam; & repetens iterumque iterumque monebo.

& 358.

His vatem aggredior dictis, ac talia quaeſo:
Trojugena, interpres Divûm, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae.

Hic cum Graecis ducibus vixit. De familiaritatis autem caussa duplex fama fuit: alii, in his *Sophocles* Philoct. 624. ab iis captum tradunt: alii, in his *Conon* Narr. 34. & *Tryphiod.* 44. transfugisse. cf. *Tzetzes* ad *Lycophr.* Alex. 911. & *Serv.* ad *Virg.* Aen. III, 166. Ut ut est, a quibusdam vates habitus est patri Trojanisque inimicus, amicus autem Graecis. v. *Tryphiod.* et *Christodorus* Anth. Gr. V, XXIX. Indicavit autem cum alia, tum Trojam capi non posse, nisi Philoctetes, qui sagittas Herculis, urbi fatales, servabat, eo venisset. *Sophocl.* Philoct. 627-630. Praedixit item Philocteten, morsu serpentis ulceratum, illic sanatum iri. *Sophoc.* 1375, 1387.

Congruenter itaque fabulis Helenus, vates celeberrimus, de se praedicat v. 56.

> με παῖδ' ἐδίδασκεν Ἀκερσέκομης ἀγορεῦσαι
> Μαντοσύνας.

Congruenter itidem Philoctetes, μεμνημένος αἰὲν ἐχίδνης, virum de se bene meritum supplex rogat (v. 51),

> ὄφρά τιν' εἴποι
> Θαλπωρὴν, εἴπερ ποτ' ἐπὶ χθόνα μητέρα θηρῶν
> Ἔρχηται, πῶς κεν πολιὸν γένος ἐκπροφύγῃσι.

Is autem libens de lapidum, qui serpentium morsibus aliisque malis medeantur, viribus exponit v. 59.

> ἀτρεκέως μάλα τοι ἐρέω τὰ ἕκαστα.
> Φράζεο νῦν, Ἥρως ἑκατηβόλε, μῦθον ἐμεῖο·

Αὐτὴ

„ Αὐτὴ γαῖα μέλαινα πολυκλαύτοισι βροτοῖσι
Τίκτει καὶ κακότητα καὶ ἄλγεος ἄλκαρ ἑκάστου·
Γαῖα μὲν ἑρπετὰ τίκτε, τέκεν δ' ἐπὶ τοῖσιν ἀρωγήν.
Ἐκ γαίης δὲ λίθων πάντων γένος, ἐν δ' ἄρα τοῖσι
Κάρτος ἀπειρέσιον καὶ ποικίλον.

Neque enim dubitari poteſt, quin Ἥρως ἑκατηβόλος ſit Philoctetes, jaculandi peritia praeter caeteros clarus. v. *Valer. Flaccus* I, 393. *Manilius* V, 293, 302. *Dictys* 3, 1. & 18. *Pindarus* Pyth. 1, 104. *Homerus* Odyſſ. Θ, 219. Il. Β, 718. τόξων εὖ εἰδώς. & *Quintus* Calaber IX, 495. & 459.

Ὤκτειραν μάλα πάντες ἑκηβόλον ἀνέρα, λυγρῷ
Ἕλκεϊ τειρόμενον.

Idem intelligitur *Orph*. v. 74.

Ἀλλὰ σύ γ', ἥρως,
Λᾶϊ σιδηρίτῃ πεφυλαγμένος, ἑρπετὰ πάντα
Θαρσαλέως, εἴ καί τοι ὁμιλαδὸν ἀντιόωσιν,
Ἔρχεσθαι διὰ μέσσα.

Quod ſi verſibus memoratis Helenus gemmarum miracula Philoctetae narrat, nemo dubitet, quin ejusdem ſermo ſit ad eundem XX, 10.

Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ πρόσθεν ἀπώμοσα κάρτερον ὅρκον,
Ψευδέα μήποτε μῦθον ἐνισπεῖν ἀνθρώποισι·
Καὶ νῦν ἀτρεκέως μάλα τοι λέξαντος ἕκαστα,
Ἡμετέροις, Ἥρως ἑκατηβόλε, πείθεο μύθοις.

Adeo ſimilia ſunt verba praecedentibus XI, 56.

Εὖτε με παῖδ' ἐδίδασκεν 'Ακερσεκόμης ἀγορεύειν
Μαντοσύνας, μέγαν ὅρκον ἐκέκλετο πρῶτον ὀμόσσαι,
Ψευδέα μήποτε μῦθον ἐνισπεῖν ἀνθρώποισι·
Τούνεκεν ἀτρεκέως μάλα τοι ἐρέω τὰ ἕκαςα.
Φράζεο νῦν, Ἥρως ἑκατηβόλε, μῦθον ἐμεῖο.

Dubitantem tamen ſubſequentia cogent credere:

Ὣς ἄρ' ἔφη Πριάμοιο διοτρεφέος φίλος υἱὸς,
'Ατρέςου θεράποντι φέρων χάριν Ἡρακλῆος.

quibus Helenus Priami φίλος υἱὸς appellatur, pariter atque Iliad. H, 44. Πριάμοιο φίλος παῖς; θεράπων Philoctetes, ut ὁμωρόφιος φίλος *Quinto* Calabro X, 205. *comes Serv.* Aen. III, 402. *Dict.* I, 14. *Senec.* H. Oet. 1714. &, ne ſcrupulus reſtet, *Philoſtr.* Imag. Cap. XVII. p. 889. θεράπων.

Quod ſi conſtat, ergo etiam XI, 26.——XX, 14. Heleni ſermo cum Philocteta de Lapidum virtutibus exponitur. Et ſane nihil in eo deprehenditur, quod non in hunc Priami filium conveniat. Hic enim (18, 104.) congruenter fabulis de ſe praedicat,

Ταῦτ' ἐγὼ ἐκτελέσας, ὅσα τ' ἔσσεται, ὅσσα τε κοῦφοι
Ὄρνιθες κλάζουσιν, ἐπίςαμαι·

hic (18, 34.) Ajaci, quippe amico, commendat haematiten: hic (18, 49. 20, 18.) Priamum vere patrem vocat, ut (18, 46.) αὐτοκασίγνητον Hectora; & (20, 7.) αὐτοκασιγνήτην Caſſandram: eadem enim matre Hecuba

cuba nati erant. Hic (XI, 93.) Menalippum vocare poteſt ἀνεψιὸν, qui κασίγνητος Hectoris eſt *Hom.* Il. O, 549. hic (18, 45.) Dolona θεράποντα.

Dicet aliquis: Nonne matrem ſuam nominavit Abarbaream XI, 117.

> Ὡς καὶ ἐμῆς ποτε μητρὸς Ἀβαρβαρέης ἐπάκουσας,
> Ἀνδρῶν εὖ μάλα νοῦσον ἐπιςαμένης ἀκέσασθαι,
> Βουκολίδης Εὔφορβος ἀγαυοῦ φάσκεν ὀφίτου
> Φάρμακα; —

Minime vero. Poëta ſcripſerat, ἑῆς μητρὸς: *Tzetzes* enim, diligens hujus libelli lector, Euphorbum tradit ab *Orpheo* vocari filium Abarbareae, & Bucolionis Hiſt. Chil. XIII, 574. & I, 228.

> Εὔφορβος Φροντίδος υἱὸς, καθ' Ὅμηρον, καὶ Πάνθου,
> Ὀρφεὺς Ἀβαρβαρέης δὲ καὶ Βουκολίδην λέγει.

Adde, quod ita Bucolion & Abarbarea junguntur pariter atque Il. Z, 21. et *Nonni* Dion. XV. p. 434.

Gesnerus itaque peccat, quod Heleni ſermonem Thiodamanti, filio Priami, tribuit, & in Philoctetae locum ſubſtituit Orphea. Quid? quod intelligi non poteſt, quo modo Priami filius cum Graecorum ducibus, Trojam circumſedentibus, familiariter vixerit. Quid? quod Thiodamas, Priami filius, nunquam fuit. Etenim nec *Hyginus* f. 90 nec *Apollodorus* III, XI, 5. nec *Homerus*, nec alius auctor locuples in Priami liberis eum numeravit. Non me fugit in argumento carminis, quod *Demetrio Moſcho* tribuitur, inveniri: Θειοδάμαντι

ελάμαντι τῷ Πριάμου συνήντησεν Ὀρφεύς, eumque multos, in his *Fabricium* Bibl. Gr. I, XVIII, 5. ſequi: ſed Graeculus, eodem captus errore, quo *Gesnerus*, Heleno tribuenda, Thiodamanti tribuit, & pro vero Priami filio falſum ſubjecit. In prima quidem parte carminis, qua ſe, ſacra Soli facturum, ſcriptor occurriſſe narrat,

Ἀγρόθεν ἄστυδ᾽ ἰόντι περίφρονι Θειοδάμαντι,

nunquam Priami filium vocat, atque adeo perfamiliares cum eo ſermones confert, ex quibus confici posſit, amicos veteres fuiſſe, qui eandem urbem colerent. Itaque notus ille *Lucretii* verſus,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa,

convenit in haec, quae de Thiodamantis genere tradit *Gesnerus* p. 293: „ Theodamas vel Theiodamas L. 20, „ 14. Abarbareae F. L. 11, 117. Frater Hectoris „ L. 18, 46. & 55. & Caſſandrae L. 29, 7. Dolo„ nem θεράποντα ſuum vocat L. 18, 54. „ Convenit iti„ dem in alia genealogi, veluti p. 291: „ Menalippus La. 11, 93. ἀνεψιὸς Theodamantis: „ Hectoris & „ Dolonis Ιλ. Ο, 554. „ Menalippus enim fuit ἀνεψιὸς Heleni; Laomedontiades autem Dolops, non Dolon, ab *Homero* nominatur.

Hoc vero metri vitio luſus,

velut obſcura captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter,

ubique

ubique haesit & lapsus est. Pauca, ne quis de veritate dubitet, exempla ponam. Notat igitur ad XI, 56: „ Hinc Palamedes loquitur, & v. 60. ut tanto veracior fiat oratio, ipsius & Apollinis orationem directe refert a 60 -- 74 „ Sed ipse suo, quemadmodum dicitur, gladio confici potest. Nam si, (ut in Thes. L. L. tradit), „ Heroës dicuntur ii, qui cum sint homines, rebus tamen gestis eam opinionem apud vulgus emeruerunt, ut inter Divos relati credantur, „ Apollo dici nequit Ἥρως ἑκατηβόλος. Quid? quod inepta versuum junctura foret,

Τοὔνεκεν ἀτρεκέως μάλα τοι ἐρέω τὰ ἕκαστα.
Φράζεο νῦν, Ἥρως ἑκατηβόλε, μῦθον ἐμεῖο.
„ Αὐτὴ γαῖα μέλαινα πολυκλαύτοισι βροτοῖσι
„ Τίκτει καὶ κακότητα.

Quod? quod Graeca male versa sunt:

Nunc referas *quaeso, o Heros longe jaculans, sermonem meum.*

Notat itidem ad v. 74:

„ Ἦτοι ὅσαι βοτάναι, τόσσοι λίθοι. „ Ἀλλὰ σύ γ', Ἥρως, Λᾶϊ σιδηρείτῃ πεφυλαγμένος ——.

„ Hic abrupta oratione Phoebi & Palamedis, adeo „ Theiodamas firmare pergit contra serpentium metum „ Orphea. „ Immo vero Helenus sermone non abrupto Philocteten, ab serpente laesum, contra serpentium metum firmare pergit.

Haesit itidem ad xix, 15, & 10.

Καὶ νῦν ἀτρεκέως μάλα τοι λέξαντος ἔκαςα,
Ἡμετέροις, Ἥρως ἑκατηβόλε, πείθεο μύθοις.

Exponit enim de Apolline, & hoc amplius Graeca male vertit, & ad suum sensum sic accommodat:

Nostris, Heros longe jaculans, verbis placatus esto!

Omnium autem errorum maximus latet in hac nota; quam apposuit ad xx, 14.

Ὣς ἄρ' ἔφη Πριάμοιο διοτρεφέος φίλος υἱὸς,
Ἀτρέςου θεράποντι φέρων χάριν Ἡρακλῆος.

„ Personam veluti facit aram, famulam Herculis (qui „ idem Sol est) ut Lap. Υπ. 61. *ἀμύντορα βωμὸν* dixe- „ rat. „ Paucis enim verbis *ἄτρεςον* Herculem vertit in Solem; ejus autem *θεράποντα* Philocteten in aram transformat: in quâ joculari metamorphosi vix *ἀγέλαςος* risum tenere possit.

In *Arati* carminibus itidem multa reperias hujus generis menda; veluti Φαιν. v. 40. *ἐπιφράσκασθαι.* v. 415. [& Διοσ. 94, 126.] *ἀνέφελον.* 573.

Ἥμισυ μὲν κεν ἴδηαι μετήορον, ἥμισυ δ' ἤδη.

pro, *ἐπιφράσσασθαι, ἀννέφελον, ἴδοιο;* quae codices optimi suppeditant; & 184. *ὄση.* 309. —— *ὁ δὲ δύεται ἠῶθι πρὸ.* 624. *καταμελεῖςι,* pro, *ὅσση, δύνεται, καταμμελεῖςι.*

Quid? ipse *Callimachus*, a tot hominibus eruditis & saga-

ſagacibus curatus, etiam nunc talibus vitiis contaminatus eſt; ut in Lavacr. Pall. v. 70.

Δή ποτε γὰρ πέπλων λυσαμένα περόνας,
Ἵππω ἐπὶ κράνᾳ Ἑλικωνίδι καλὰ ῥεοίσᾳ
Λῶντο· μεσαμβρινὰ δ' εἶχ' ὄρος ἀσυχία.
Ἀμφότεραι λῶντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι·
Πολλὰ δ' ἀσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος.

Ut enim ἡμερινὸς, ſic μεσαμβρινὸς, tertia ſyllaba brevi, poëtae ſemper efferunt, in his *Nonnus* Dion. II. p. 72. v. p. 176. VI. p. 190. XL. p. 1036. XLI. p. 1054. XLVIII. p. 1266. *Theocritus* Id. I, 1. & *Orpheus* Argon. v. 1123.

Ἄσσον ἐπισκιάουσα μεσημβρινὸν ἠέρα Φλέγρη.

Equidem vix oculos in verſus conjeceram, cum vidi *Callimachum* ſcripſiſſe,

Λῶντο· μεσαμέρια δ' εἶχ' ὄρος ἀσυχία.

ut *Theocr.* VII, 2.

Πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριος πόδας ἕλκεις;

ſed inpoſtor non viderat, qui ex vitioſo verſu vitioſiores fecit,

Ἀμφότεραι λῶντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι·
Πολλὰ δ' ἀσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος.

Nam ſequor *Erneſtium*, qui diſtichon, quod jam *Ruhnkenius* & *Hemſterhuſius* rejecerant, ex alio poëta non

credit adſcriptum, ſed ad ſimilitudinem prioris factum.

Non diſſimile vitium latet in *Theocriti* Idyll. XVII, 88.

Παμφυλίοισι τε πᾶσι, καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι.

Nam ſecunda vocis, Παμφυλίοισι, ſyllaba corripitur. v. *Heinſ.* ad *Claud.* in Eutrop. II, 465. Itaque leviter emenda, Παμφύλοισι.

Longe pluribus Anthologia Graeca contaminata eſt: ſed haec & alia forſan alio tempore corrigam.

Nunc ad Latinos propero poëtas; in quorum libris, emendatis ſcilicet maxime, ſimilia non videntur inveniri. Falſo: nam praeter ea, quae feliciter in Obſervationibus & Emendationibus jam ſublata ſunt, in elegante & jocoſo Carmine, quod *Catullo* tribuitur, contra metri leges, Emend. p. 13. traditas, legitur:

Hunc ego, juvenes, locum, villulamque paluſtrem,
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, ruſticâ conformata *ſecuri,*
Nutrivi:

pro,

ruſticâ fabricata *ſecuri:*

quod ſimillimum carmen ejusdem, ut putant, ſcriptoris doceat:

Ego haec, ego arte fabricata *ruſticâ,*
Ego arida, o viator, ecce populus

Agel-

Agellulum hunc, ſiniſtra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor.

Iſ. Vosſius ſenſerat vitium; ſed infeliciter reponebat, *fomitata;* verbum poëtis inauditum.

In *Virgilio*, quem curavit *Heynius* V. C. Georg. IV, 355. manet:

Triſtis Ariſtaeus Penei *genitoris ad undam*
Stat lacrymans.

At, *Penei*, duabus ſyllabis pronuntiari nequit, propterea quod nomen eſt *Peneüs*, Πηνειὸς. Unus hoc vidit *Bentlejus*, qui credebat (ad *Lucan.* III, 191.) „ dediſſe poëtam:

„ *Triſtis Ariſtaeus* magni *genitoris ad undam:* „

de quo mihi nondum liquet; cum ſolis luce clarius eſſe videatur, *Penei* nomen ex interpretatione fluxiſſe.

At male facis, inquiet aliquis, qui verſum corrigere coneris, cum *Virgilius* ipſe ſcripſerit in Culice v. 114.

Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae
Naïadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis, ſylvasque canendo,
Quantum te, Peneu, *remorantem dia chorea,*
Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu.

Immo ſcripſit,

Quantum te pernix *remorantem*, Diva, *chorea.*

Pernix olim *Vossii* liber offerebat; *Diva*, plures; ut 108.

Ut procul adspexit luco residere virenti,
Delia Diva, *tuo.*

Mecum facit *Heynius*, Germanorum, qui nunc poëmata veterum tractant, eruditissimus.

In *Horatio* suo *Bentlejus*, omnium nostrae memoriae Criticorum ad talia vestiganda sagacissimus, Carm. I, xv, 35. reliquit:

Post certas hyemes uret Achaïcus
Ignis *Iliacas domos.*

Nec tamen dubitari potest, quin brevis sit postrema vocis, *ignis*, syllaba. Libens igitur, aeque ac *Cuningamius*, accipio, quod alios dare codices olim *Glareanus* monuit,

uret Achaïcus
Ignis Pergameas *domos*:

non, *Dardanias*, aut, *barbaricas*; quae conjecturae apud *Jonesium* repeiuntur.

In *Ovidio N. Heinsius* & *Burmannus*, Critici pariter ac poëtae, cum alia nimis patienter tulere, tum Metam. v, 97.

Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense jacet Clymeni: Protenora *perculit Hypseus.*

At

At Graecis eſt Προθοήνωρ. v. *Homer.* Il. Ξ, 450. Β, 495. Ocyus itaque reponendum:

Prothoënora *perculit Hypſeus.*

Tulerunt itidem in Ibin v. 345.

Utque Dryantidae *Rhodopeïa regna tenenti:*

pro, *Dryantiadae*; quod Aldina ſuppeditabat editio. Ut enim ab *Abas*, *Abanti*, *Abantiades*; ab *Atlas*, *Atlanti*, *Atlantiades*; ab *Athamas*, *Athamanti*, *Athamantiades*; ſic a *Dryas*, *Dryanti*, formatur, *Dryantiades*, ſyllaba, *ti*, ſemper correptâ. *Nonnus* Dionyſ. xx. p. 542.

Ἀῤῥαβίης μεδέοντι Δρυαντιάδῃ Λυκοόργῳ.

xxi. p. 554.

Οὐδὲ Δρυαντιάδης προτέρης ἀπελύσατο χαρμης·

& p. 558.

Οὐδὲ Δρυαντιάδην χλοερῶν ἀπελύσατο δεσμῶν.

In *Senecae* Tragoediis editores reliquerunt Oedip. v. 472.

Senſere terrae te Dacum *feroces;*

quod tandem *Bentlejus* in, *Dahum*, mutavit ad *Lucan.* II, 296.

Agam. 58.

O reg-

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in praecipiti
*Dubio*que nimis *excelsa locas.*

cum Flor. liber offerret lectionem, carminis legi congruentem,

Dubioque locas excelsos nimis:

unde *Withofius* in Annotationibus ineditis eliciebat, --- *locas nimis excelsos.*

Herc. Oet. 1874.

fleat Alciden
Caerula Crete, magno tellus
*Clara T*onante; *centum populi*
Brachia pulsent.

Sed accipio, quod dat Flor. *Cara T*onanti.

Equidem non inficior exempla similia passim reperiri, velut Thyest. 881.

*Sive ex*pulimus. *Abeant questus.*

Hipp. 30.

*Jam no*tus aper. *At vos laxas.*

43.

*Inpres*sa tenet. *Alius raras.*

Agam. 314.

Stirps

Stirps Inachia. *Tu quoque noſtros.*

Sed multa, vocibus leviter trajectis, commode corrigi queunt; ut Thyeſt. 879.

O nos dura ſorte creatos,
Seu perdidimus Solem miſeri,
Sive expulimus.
Abeant queſtus, discede timor.
Vitae eſt avidus, quisquis non vult,
Mundo ſecum pereunte, mori.

Hipp. 29.

Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper.
At vos laxas canibus tacitis
Mittite habenas: teneant acres
Lora Molosſos; & pugnaces
Tendant Creſſae fortia trito
Vincula collo.

42.

Dum ſigna pedum roſcida tellus
Inpreſſa tenet.
Alius raras cervice gravi
Portare plagas; alius teretes caet.

Agam. 310.

Canite, o pubes inclyta, Phoebum.

**** *Ti*

Tibi festá caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia.
Tu quoque nostros Thebana manus caet.

Pariter autem *Melissus* ultimum, *Grutero* teste, corrigebat. Nec deerunt, qui plura leviter eodem modo corrigenda judicent. Ut ut est, veritatis, quam contentionis, cupidiores optimi libri lectiones accipere non dubitabunt, a *Gronovio* neglectas, qui bonis suis uti nesciret.

Dubito, an & error lateat in *Lucani* lib 1, 430.

Et, qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis
Vangiones: Bataviq*ue truces, quos aere recurvo*
Stridentes acuere tubae: qua Cinga pererrat
Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim: qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Nam *Silius* Italicus, *Martialis*, & forte *Propertius*, si quid conjecturae tribuatur, II, xiv, 25.

Nunc etiam infectas *demens imitare* Batavas,
Ludis & externo tincta nitore caput:

mediam syllabam producunt; in hoc autem solo, quod sciam, versu corripitur. Quod si ita est, permagnum pondus accedit ad confirmandam sententiam, quam de versibus his *Oudendorpius*, vir eruditissimus atque amicissimus,

cisſimus, in literis ad me ſuper Emendationibus in *Lucano* ſcriptis anno 1755. ferebat: „ —— 431. &c. *Vangiones* non ſunt Galliae Braccatae, ſed Cermaniae „ populi: multo minus *Batavi.* Cinga his oris inco- „ gnitus, quem velim a Cl. *Cannegietero* repertum. „ *Linga* in Batavis. Gebennae urbs ignota Lucani „ tempore. Abuſive, ut bene mecum notaſti, tubae „ vocantur *Stridentes & incurvo aere litui.* Ad haec alia „ multa inſunt v. 434, 435. quae ſano judicio non re- „ ſpondent: quare hos quinque verſus nunc cenſeo „ ſuppoſititios aeque eſſe ac ſeqq. quinque, *Pictones*--- „ ut omnes docti jam conſentiunt. Librarii hic vehe- „ menter graſſati ſunt. nam & alios inſititios in Mſſ. „ nonnullis memorat Cortius ad v. 423. „

Pariter contaminatus eſt *Statius* Sylv. I, vi, 12.

Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fecundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascos,
Et quòd percóquit Ebosiá caunis,
Largis gratuitum *cadit rapinis.*
Molles caſeoli, lucunculique,
Et masſis Amerina non peruſtis,
Et muſtaceus, & latente palma
Praegnantes caryotides cadebant.

Etenim ſi, *i*, in, *fortuitus*, producitur, etiam producitur in, *gratuitus*: in, *fortuitus*, autem produci perſpicuum eſt ex iis, quae *Vosſius* accurate disputavit de A. G. II, 37. producitur igitur in, *gratuitus.* Roget

 nunc

nunc aliquis, quid laboranti verſui faciendum eſſe arbitrer, delendum videri dicam. Hoc docent confuſa tempora, *cadit*, ſequente, *cadebant:* hoc violata lex carminis: hoc aliae rationes, quibus motus *Marklandus* eundem vel ſpurium vel depravatum eſſe cenſebat. Neque enim vir ſummus, qui, *Toupio* judice (Emend. in *Suid.* Part. 1 p. 71.), „ ſolus in hujusmodi rebus naſum atque oculos habebat, „ inſigne vitium in modo ſyllabae vidit.

Longe plura manſerunt in *Avieni* Carminibus; veluti D. O. v. 602.

> *hanc rurſum gens late priſca virorum*
> *Lotophagi includunt. duros*que Naſamonas *inde*
> *Accipe, quîs quondam* —

pro,

> *duros* Naſamonas at *inde;*

quod remedium pariter *N. Heinſius*, & *Withofius* invenere.

v. 827.

> *Ceſpite dorſa trahens* Nyſſaeum in *Platamona.*

pro, *in Nyſſaeum;* quam conjecturam firmat ſcriptura codicis Ambroſ. *in beliſeum plantavaia.*

996.

> *arva canoris*
> *Perſultant cygnis, curvas ſedet undique ripas*
> Creber ales. *laetis adſurgunt gramina campis.*

pro,

pro,

curvâ *ſedet undique* ripâ
Creber olos.

& hoc volebat *N. Heinſius*, cum praeciperet ad *Virg.* Aen. xi, 892: „— *olos*, pro *olor.* Hinc emenda „ locum inſignem Avieni Deſcr. Orb. p. 257. nam V. „ C. *olos.* „

1012.

ſurgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliae *in fines.*

pro, Pamphylûm *in fines.* *Heinſio* placebat, *Pamphylae* hic *fines* ad *Claud.* in Eutrop. ii, 465. ſed hoc refutari non debet.

Orae Marit. v. 110.

*Haec inter undas mul*tum ces*pitem jacit.*

pro, *cespitem multum;* quod *Opitius*, Criticus in paucis felix, conjecit; praeſtantisſimus autem liber V. exhibet.

196.

Ophiuſae in agro. propter hos pernix lucis
Draganumque proles ſub nivoſo maxime
Septentrione conlocaverant larem.

pro, *pernix Ligus;* quod olim multis argumentis affirmabo; nunc uno *Silii*, ſed appoſito, verſu 607. lib. viii:

Tum pernix Ligus, *& sparsi per saxa Vagenni.*

335. servavit *Hudsonus*:

Locus. *utrosque interfluit tenue fretum.*

At *Opitius* restituerat, Locos *utrosque;* quod Ambr. confirmat.

673. de cursu Rhodani:

inserit semet dehinc
Vastam in paludem, quam vetus mos Graeciae
Vocitavit Accion, quae prae*cipites aquas*
Stagni per aequor egerit.

pro,

Vocitavit ——, atque ————

704.

Evicit arte; si quae pris*ca te juvant*
Haec in novella nominum deducere.

pro, *si* qua pris*ca te* juvat ——

Prius firmat Ambros.

Ad haec exempla, quae protulimus, innumera possunt adjungi, quibus dicta confirmentur: sed occurrendum puto satietati.

Nec vero de tot ac tam perspicuis mendis, in Poëtarum monumentis etiamnunc permanentibus, admirandum videtur: nam, si libros hominum literatorum pervolutaveris, plerosque (dolenter hoc dico, non contumelio-

tumeliose,) in arte numerorum & modorum parum prudentes; nonnullos autem rudes ignarosque reperie. Quid enim? in *Clerico*, quid? in *Reiskio*, quid? in *Cortio*, quid? in editoribus *Lucretii*, quid? in *Hudsono*, quid? in *Corradino* num quod hujus scientiae vestigium videtur? Poëtas tamen attigerunt; attigerunt autem? immo corrigere, atque edere non dubitaverunt. Itaque, quod necesse fuit inperitis emendatoribus, relicta vitia non minuerunt; sed potius auxerunt; & magna detrimenta literis intulerunt. *Clericus* enim *Menandri*, *Philemonis*, & aliorum versus foedavit; *Reiskius* Anthologiam Graecam deformavit; *Cortius Lucano* nocuit; plures *Lucretio*. Sed non impune. Nam temeritatis & inscitiae gravissimas poenas *Burmanno*, *Bentlejo*, *Toupio*que persolverunt. Nec *Hudsonus*, ut ad *Britannos*, qui multum caeteris in hac arte praestare creduntur, veniamus, in hoc genere prudentior fuit: in *Avieni* enim Descriptione Orbis edidit, aut reponi voluit:

Cespes terga jac*iens Asiae succedit in oras.*

281.

Massylii*que super populi per aperta locorum.*

1192.

Si adjerit *hos saltus.*

Or. Marit. v. 87.

Abyla

*Abyla atque Calpe. laev*à di*cti cespitis.*

176.

*Vento; recedit non*nunquam *medium aceris.*

197.

*Drag*anum pro*les ſub nivoſo maxime.*

220.

Caſtrorum in uſum & *nau*tis in *velamina.*

261.

*Stannum vocavit. in*de eſt fa*ni prominens.*

270.

*Cognominata eſt. mul*ta ac opu*lens civitas.*

515.

Callipolis illuſtris quae olim *per moenium.*

Ex eâdem Britanniâ *Oddius* D. O. 117. reponebat:

—— *populis caput* antea *clarum.*

O. M. 127.

Obire ſemper huc illuc *ponti feras.*

172.

Ophiuſae

Ophiusae in oris; cujus ab arvi jugo.

Omnes vero, quos quidem viderim, temeritate & inpudentia *Corradinus ab Allio* vicit, homo non natione (Italus enim fuit), sed natura, moribus, & sermone barbarus, & *Catulli* corruptor; de cujus licentia non toleranda jam pauca dixi Emend. p. 4, 5. plura forte dicturus, si non a chartis longe refugerem

Plenis ruris & inficetiarum.

Similia vitia cum in aliis videas, tum *Christ. Crusio*: nam Prob. Crit. p. 46. in *Sidonii* Carm. XXIII, 48. reponi vult:

Solis fixe gy*ris*, *nec expetito.*

p. 63. *Rutilii* II, 49.

Ipsa satellitibus pellitis Roma pa*rebat.*

p. 214. *Petronii* cap. 89.

mox adacta cuspide
Uterus nuta*vit.*

ib. v. 50.

invadunt virum
*Jam mor*te pa*ri.*

p. 262. Pervigil. Ven. v. 91.

Reci*nent & tota nox est pervi*gil a *canticis.*

*****

Sed

Sed quid ego *Corradinos?* quid *Crusios* insector? *Is. Vossius* eodem modo centies peccavit; veluti, cum corrigere conaretur in *Avieni* Ora Mar. v. 349.

Teretisque visu nuncupatur et jugis.

& in Catal. *Virgilii* vii, 3. p. 150. ed. *Heynii:*

Et vos, Aeli*que*, *Tarquitique*, *Varroque.*

Joannes itidem *Fridericus Gronovius*, ut alii pene innumerabiles nunc omittantur, in accuratis & meditatis Annotationibus ad *Senecae* Tragoedias, persaepe, quae corrigere volebat, depravavit. Etenim dedit Hippol. v. 4.

Quae saxoso loca Parnethi
Subjecta jacent; & quae Thriasiis
Vallibus amnis.

cum vulgatis in libris haberetur, *quae Thriasiis; Raphelengius* autem, quem laudat ipse, convenientius metro legeret, *quaeque Thriasiis.* Primam quidem syllabam *Philippus* Anthol. Gr. III, vi, 52. corripuit:

Εἰπὸν ἀνειρομένῳ τίς, καὶ τίνος ἐσσί; Φίλαυλος
'Ευκρατίδεω. ποδαπὸς δ' εὖχε ἔμεν; Θριασεύς.

ib. v. 14. multa reperias effutita temere:

Ubi Maeander super inaequales.
Tibi, *Maeander*, par & ae*qualis.*
Uti Maeander inter ae*quales.*

Tot

Tot enim fere vitia, quot voces. Ad, *uti*, vero, tanquam ſcopulum, plures oſtenderunt, in his *Meurſius*, qui pariter atque *Gronovius*, conjecit, *uti Mae*ander -; & *Clericus*, qui in Aetna *Severi* v. 350. non dubitavit edere:

*Sparſa liquore manus ſa*cros uti *ventilat ignes*.

Sed contra miſerum ſatis ſuperque dictum eſt a *Burmanno*. *Gesnerus* tamen, exemplo non territus, in *Horatio* repoſuit Epiſt. I, VII, 73.

Tandem dormitum dimittitur. ergo uti *ſaepe*
Occultum viſus decurrere piscis ad hamum.

Nec miror. Nam ſaepius in Theſauro L. L. labitur, & in Obſervationibus ad *Orphea*. Sed in viam.

ib. v. 44. *Gronovius* corrigit:

Cervice gravi rotar*e plagas.*

v. 959.

*O magna parens Natu*ra rerum,
Tuque igniferi rector Olympi.

ad quod *Jortinus*, Criticus eximius, in Ephem. Britann. *Matii* T. XVIII. p. 94: „ O Doctisſime! ποιον σε επος φυγεν; Lex carminis prohibet illud *rerum*. „

Agam. 655.

Te magne parens, flemus I*liades.*

Herc. Oet. 1175.

Prô cuncta tellus, Herculis vestri placet
Morte f*eriari? dirus o nobis pudor!*

quod, ut alia nonnulla, *Withofius* in notis MSS. pariter notavit; & 1214.

Sed tuae *laus est, venerande, manus,*
*Quod nul*la fera, *nullusque gigas,*
Nec quis dignus necis Herculeae
*Superest auctor, invic*te, vive.
vel, vive, dex*tra tuis.*

in quibus quatuor peccata licet animadvertere.
ib. 1908.

Pondere liber strig*avit Atlas.*

quam correctionem *Burmannus* ad *Phaedr.* III, VI, 9. memorat, nihil de vitio suspicatus. Atqui, *strigare*, prima brevi effertur. *Maecenas* apud *Sueton.* ed. *Oudend.* p. 889.

Ni te visceribus meis. Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
*Hinnulo vide*as strig*osiorem.*

Auctor Parodiae *Virgilianae*, quae conposita est ex puris iambis, Anth. *Burm.* T. 1. p. 311.

laeva, sive dextera
Strigar*e mula.*

quo

quo verſu jam *Salmaſius* ad *Solin.* p. 40. *Scaligerum* refutavit conantem ſic depravare *Propert.* IV, VIII, 23.

Striga. *nam taceo volſi carpenta nepotis.*

Nec tamen cautiores fecit eos, qui reponere conati ſunt Anth. *Burm.* T. I. p. 18.

Alcmenae, Jovis & magni fortisſima proles
Strigo*ſus ſubito poſt mea fata vocor.*

Miror vero *Toupium*, cum pro vulgata lectione, *Tricoſus*, Emend. ad *Suid.* Tom. III. p. 162. propugnaret, inſigne vitium non animadvertiſſe.

Quid? quod *N. Heinſius*, Criticus ſagacisſimus, & idem poëta ſummus, hujusmodi conjecturarum copiam effudit. Etenim *Valerii Flacci* lib. III, 152. corrigere conabatur:

*Currit hy*ems, Zeten, *& Broten, Abarinque relinquit.*

in quo bis erravit: primum, quod, *Ze;* deinde, quod, *ten*, corripuit. Ut enim Graeci, Ζήτης, Ζήτην, ſic Latini, *Zetes*, *Zeten*, utrâque ſyllabâ productâ, pronuntiant. Ne multa: ſcribendum cum *Maſerio*, *Zelyn.* ſic *Apollonius* Rhodius, quem *Valerius* ſequitur, I, 1041 vocat:

Ἠδὲ μεγαβρόντην, Σφόδριντ' ἐνάριξεν Ἄκαςος,
Πηλεὺς δὲ Ζέλυν εἷλεν.

ſic liber *Carrionis* exhibet.

 Idem

Idem reponi volebat I, 412.

Phleïas *immissis* ——

& III, 149.

gravis irruit Ochum
Phleïas, *&* *trepido* ——

Sed in hoc uno tria peccata admisit: unum, quod bisyllabum mutavit in trisyllabum: nam Graecis est Φλείας, bisyllabum. *Apollonius* Rhodius I, 115.

Φλείας δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Ἀραιθυρέηθεν ἵκανεν.

Orpheus Argon. 192.

Φλίας δ' ἐξαφίκανε ——

alterum, quod primam syllabam produxit: tertium, quod ultimam corripuit. *As* enim producitur a bonis poëtis (v. *Voss.* A. G. II, 36.), a malis autem corripitur; velut auctore versus ab *Hygino* f. 221. memorati:

*Plures esse ma*los Bias *indicat ille Prieneus.*

v. *Munck.* Diss. de *Hyg.* p. 7. Enimvero scribendum, *Phlias*, priore longa; quod vel *Apollonius* & *Orpheus* doceant. Nec diversus syllabae modus est servatus in, *Phliasius. Ovidius* in Ibin v. 327.

*Quaeque in Adiman*tum Phli*asia regna tenentem.*

In Adversariis autem saepius lapsus est in uno *Seneca* corri-

corrigendo; veluti cum p. 72. reponeret in Hippol. 1136.

Montium *coelo Jupiter alto.*

p. 43. Thyeſt. 833.

Et mare ſegnis *& vaga picti.*

(p. 450.) H. Oet. 642.

Vidit miſeros renat*a dies.*

1652.

*His u*tere fe*lix: bas enim nunquam irritas.*

p. 513. Octav. 813.

Fervidae eſt *irae facilisque regi.*

Errorum vero plena ſunt, quae notavit ad *Virg*. Aen. III, 299.

Et patrio Harpyias inſontis *pellere regno:*

„ *Harpyias inſontis* ſcripti vetuſtiores. optime. alterum
„ enim legibus metricis adverſatur; τὸ *Harpyia* enim
„ tetraſyllabum eſt, in quo mediae duae corripiun-
„ tur, ut in illo *Rutilii* pentametro 608.

Circumſiſtentes repulit Harpyias.

„ quanquam me non fugit Maronianum illud hemiſti-
„ chium inf. 365. *Harpyia Celaeno*, in quo penultima
„ ſyllaba eliditur. Certe Mediceus codex *Harpeia* il-
„ lic

„ lic agnoscit. Sic *Orithyia* quinque ſyllabarum eſt „ apud *Naſonem* VII Metam. 695. „ Ἅρπυια enim tribus ſyllabis eſſertur ab *Homero* Odyſſ. Υ, 77. Ξ, 371. & Α, 241.

Νῦν δέ μεν ἀκλειῶς Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο·

ubi nomen poſitum vides eâdem ſede, qua v. 249. *Maronis:*

Et patrio inſontes Harpyias *pellere regno.*

Nec aliter extulerunt *Horatius*, *Ovidius*, & *Seneca.* Depravate igitur in Mediceo libro ſcriptum fuit, *Harpeia;* quod vel indicet *Homerus* Il. Π, 150.

Ἅρπυια Ποδάργη.

Rutilius autem notos ſyllabarum modos mutavit indocte canens:

Circumſiſtentes repulit Harpyïas.

Hunc vero coecum ducem ſecuti *Maronis* editores ruerunt. Aeque falſa eſt doctrina de *Orithyia:* quatuor enim ſyllabis, congruenter naturae nominis, eſſertur; velut ab *Homero* Il. Σ, 402.

Μαῖρα, καὶ Ὠρειθυῖα, ἐϋπλόκαμός τ' Ἀμάθεια.

& *Ovidio* Metam. VII, 695.

Orithyian *amans* ——

quod

quod ſi quinque ſyllabis extuleris, poëtam corrumpes, & in eum ſcopulum incides, in quem *Broekhuſius* incidit p. 114:

Non ſterilem ſpondet Ilithyia *domum.*

Nam Graecum nomen Εἰλείθυϊα non unum venuſtiſſimi vatis errorem oſtendit.

Nec vero *Burmannus*, *Clerici* Germanorumque reprehenſor, in hoc genere prudentior fuit; ut, cum Miscell. Obſerv. Vol. II. p. 45. *tetigit*, in *Ovidii* Triſt. I, IV, 81.

(*Denique quaeſitos* tetigit *tamen ille penates,*
Quaeque diu petiit, contigit arva tamen.)

mutaret in, *reperit:* nam, *reperi*, primâ longâ pronuntiatur. Sed vir doctiſſimus cum multis erravit, in his *Jacobo Wallio*, qui cum principibus poëtis aequatur, Heroïc. I, 2. p. 27.

Et Cameracenae, quas Gallus cinxerat, arces,
Marte tuo & magnae ſervatae munere Divae,
*Praeco*nem repe*rere.*

Quapropter noſtri temporis homines in hoc errore diutius verſari non patiar. Dico igitur, *reperi*, & inde deducta tempora, ſemper efferri primâ productâ, ſive, *reperi*, ſcriptum fuerit, ſive, ſyllabâ brevi, Graecorum more, per geminationem productâ, *repperi*, de quo

****** nunc

nunc disputare non vacat. *Ausonii* enim, qui, veterum lege neglecta, corripuit Epigr. xxiii.

At, qui condiderat, postquam non reperit aurum,
Aptavit collo, quem reper*it*, *laqueum.*

rationem non habemus. Errant itaque, qui librarios quosdam felici lapsu scripsisse putent Aen. *Virgil.* vi, 434.

qui sibi letum
Insontes reperêre *manu.*

Eandem legem veteres servarunt in *retuli*, & *repuli.* Nam *Lucretii* libro vi, v. 672. pro,

Sunt, ubi forte ita se retu*lerunt semina aquarum.*

editiones meliores habent, *tetulerunt;* scriptor autem Epitomes *Homeri*, quem ridicule *Pindarum* Thebanum vocant, v. 559.

Hospitis arma vides, Veneris quae *vulnere dextram*
Perculit, & summo repulit *certamine Martem.*

sic emendandus est:

Veneris qui *vulnere dextram*
Perculit, & summo pepulit *certamine Martem:*

quod vel indicent lectiones codicum, *pupigit*, &, *popu̇lit.* Pariter olim librarii *Claudianum* corruperant, & *Ovidium* Heroïd. xii, 165.

Quaeque feros pepuli *doctis medicatibus ignes.*

v. *Hein-*

v. *Heinſius.* Hoc autem *Naſonis* verſu mendoſe ſcripto luſi cum alii, tum *Marius* ad Amor. I, VII, 62. & *Erythraeus* Ind. *Virg.* in v. *repperit*, falſam de modo ſyllabae doctrinam tradiderunt. Erravit igitur *Sidronius Hoſſchius*, poëta praeſtantisſimus, III, IV, p. 88.

Si nimium Aeſonides ventos timuiſſet, & undas,
Vellera Phryxeae num retu*liſſet ovis?*

E contrario praeſentia *reperio*, *refero*, *repello*, prima ſyllaba brevi, nec unquam geminatione literarum producta, leguntur. Etenim falſa eſt doctrina *Bedae Putſch.* ed. p. 2344: „ re praepoſitio geminatur, *cado*, *recido*, *rettuli*, *repello*, *reddo*, *rellego*; falſa itidem *Dra*-„ *kenborchii*, quem tamen omnes fere ſequuntur, ad „ *Sil.* Ital. 1, 309: „ Apud veteres vocula *re* anceps erat in verbis compoſitis, quae a conſona incipiebant, ut -- *refero*, *reperio* --. „ Nusquam, mihi crede, *re*, in his productum invenitur. Itaque *Sidronium* non ſequor Eleg. V, x. p. 175. ſcribentem:

Haec te paſtoris profugam quaerentis imago
Tangit, & amiſſam repperi*entis ovem.*

Equidem non inficior veterrimos poëtas, tanquam *Lucretium*, in paucis verbis, *re*, produxiſſe, vel, ut brevis ſyllaba produceretur, literas ſubſequentes geminaſſe; ſed mihi nondum perſuaderi poteſt, eos id promiſcue feciſſe. *Virgilius* quidem, *Ovidius*, & aequales parcius fecerunt. Quid? quod exemplorum

 nume-

numerus in dies magis magisque decreſcit. Sic olim proferebatur ex *Horatio* Sat. II, III, 191.

*Dii tibi dent capta clas*ſem re*ducere Troja.*

nunc *Bentlejus*, rationem ſecutus, & auctoritatem codicum, dedit, *deducere.*

Incaute igitur agunt Interpretes, qui tales ineptias, veluti gemmas legunt, poëtas ſcilicet ſuos iis ornaturi! ex. gr. *Maronem* Aen. I, 644.

*rapidum ad na*ves re*mittit Achaten.*

Claudianum in Prob. & Ol. Conſ. 260.

Liris, & Oebaliae qui reparat *arva Galaeſus.*

& *Lucanum* III, 113.

*Viribus an pos*ſent re*ſiſtere jura* ——

Incautius, qui nullis in libris repertas ingerunt; ex gr. *Naſoni* Metam. XIII, 273.

Rettudit ——

Propertio II, XIX, 41.

Miles depoſitis annoſus recubat *armis.*

& *Senecae* H. F. 37.

*Qua ſol relucens, qua*que rep*ponens diem.*

Sed

Sed tempus eſt ad errores *Burmanni* redire. Vehementius peccavit vir eruditisſimus, cum *Valerii Flacci* libr. 1, 67. corrigere conaretur hoc modo:

nunc aërii plantaria vellet
Perſeos, aut curru ſaevos frenaſſe dracones
Cel*idae, ignaras Cereris qui vomere terras*
Inbuit.

Κελεὸς enim tribus ſyllabis, atque adeo prima brevi pronuntiatur. Alia generis hujus delicta ſtudioſe non conquiro; juvenes tamen in carminibus egregii poëtae legendis volo cautos eſſe, cum ſimilia pasſim reperiantur; ut p. 215.

Et Tity*rus lentis recubans Amaryllidos ulnis.*

p. 100.

Ardet ïo! & pul*chrae factus jam praeda puellae.*

p. 25.

Hoſtis ïo! en, ves*tros turbat novus advena fines.*

In eadem voce labitur *Gesnerus* V. C. in Theſ. L. L. tradens: „ *Priorem produxiſſe videtur* Ovid. Met. v, 625.

Et bis Io Arethuſa, Io Arethuſa vocavit.

Sic Mart. 11, 2. [XI, 11, 5.]

Clamant ecce mei Io Saturnalia verſus.

Sed apparet, poſſe enumerari diverſimode ſyllabas. „ Quis eſt enim, qui neſcire posſit, *iö*, iambum eſſe? Verſus autem *Martialis* mendum continet. *Vosſii* liber exhibet, *mitio.* Forte ſcriptum fuit, *jam.* Sed ipſe non ignoro, quam ſit hoc incertum. *Daweſius* Misc. Crit. p. 32. particulam putat una ſyllaba pronuntiari in noto *Catulli* carmine v. gr. v. 163.

Jo, Hy*men*, *Hymenaee*, *io.*

Sed *Achilles Statius*, aliique verſus aliter disponunt; quos ſequi malim. Plura videas in Append. veluti p. 456.

Sodamin rapuit famili*aris aqua.*

p. 443.

Naufragium dignus bis erat *ille pati.*

ib.

Igne carebat homo. Superis hunc callidus aufert
Japet*ides. furtum vindicat ira Jovis.*

p. 446.

Hepate quae geſtans in guttura dirigit hoſtis,
Occidit & *vindex una ſagitta duos.*

p. 437.

*Urbis enim validae, ignaro com*miſſa tyr*oni,*
Obſidio leto millia multa dedit.

Ejusdem tamen libri p. 439. ſimilis negligentiae nomine *Vegelinus* reprehenditur, & irridetur:

Inſe-

Infelix vates, decorande volumine Smetî,
Ut juſtos habeat ſyllaba quaeque modos;
Auſoniae Veneris, numerorum ignare poëta.

Dicet aliquis: haec nuper: at, qui nunc ſunt, homines, territi tot exemplis, in ſcribendo ſunt cautiores. Immo vero conplures, veluti metu liberati, pudoris & legum repagula perſringunt, & praecipites in vitia ruunt. *In facinus juraſſe putes.* Si dubites, Erudite Lector, in manus ſume *Manilium*, quem *M. E. Stoeberus* a. 1767. cum ſuis annotationibus Argentorati edidit. Invenies illic I, 164.

*Adjacuitque ca*vis fluvi*dum convallibus aequor;*

idque, quod mireris, affirmatum v. 463. lib. II. *Lucretii:* ——— *quae* fluvida *conſtant.*

cui ſimilis poterat addi 465.

Nam quod Fluvidum *eſt, e Laevibus atque Rotundis.*

ib. 167. Itaque *de cunctis mediam tenet undique ſedem.*

774. *Perſidos* & ul*tor, ſtrarat quae clasſibus aequor.*

II, 383. *Gratia: nam conſenſus habet quia* viſus ad*emtos.*

887. *Atque eadem interior, fortunae* ſorte di*catur.*

Vult enim, *dicatur*, „ eſſe conjunctivum τοῦ *dici*, quod „ eſt, *appelletur, vocetur.* „

ib.

ib. 901. *Hoc mo*menta ma*nent noſtrae plerumque ſalutis.*

addit enim: „ rectius ſtatueris, hoc *manent* dictum eſ-
„ ſe, per enallagen Modi pro *manant*. „

III, 80. *Atque aliis alio ſors quaeque ac*cideret *aſtro.*

519. *Aſſerit atque dies tra*dit ſe*quentibus aſtris.*

533. *Tempora conſiſtunt propri*is ca*rentia ſignis.*

617. *Imma*tura tra*det natalis corpora morti.*

IV, 43. *Adde etiam Itali*cas vices, *Romamque ſuismet.*

46. *Quod conſul totiens ex*ul: quod ex *exſule conſul.*

182. Et pa*rare metum ſylvis, & vivere rapto.*

240. *Quodque in* terra ge*rit curvato ſpicula cornu.*

298. *Quam partem decan dixere de*curia *gentes.*

315. Totque du*cit vires, dominos quotquotque recepit.*

693. *Gallia praetextis, Hiſpania* maxime *bellis.*

757. *Ultimus & ſolidus Ga*nges; cedit *India Cancro.*

V, 44. *alios montes, aliamque videre*

Phaſin, & *in ſcopulos* ---

nam ſapienter ad *phaſin* addit, „ ſcil. Lunae. „

50. *Hiera Syracuſas: Salamis non* teget *Athenas.*

542.

525. ——— *timuit nau*fragia *tellus.*

737. *Sic etiam magno quaedam re*ſplendere *mundo.*

Omitto lectiones, quas lex carminis repudiat, relictas, aut defenſas; ut II, 253.

Contra ja*cet Cancer.*

& IV, 804. —— *Babylon &* Suſa, Pa*nosque.*

addit enim: „ Πανὸς ſecundo caſu a Pan, Panis inſula in ſinu Arabico.„

Plura generis hujus exempla (ſunt enim prope innumerabilia) ex aliis, etiam amicis, proferre poſſim; ſed ab iis me contineo, qui non libenter alios reprehendam, & nunc quoque veriſſimum eſſe ſciam Comici dictum: --- *veritas odium parit.*

In ipſius etiam *Stoeberi*, viri doctiſſimi, & humaniſſimi, tot tantisque peccatis connivere perrexiſſem, niſi conſuetudo, quam tenuit in annotationibus, pernicioſiſſima literis foret. Nam, more multorum, certiſſimas *Bentleji* correctiones perſaepe futilibus argumentis inpugnavit; atque adeo genuinas lectiones, quas pervulgati ſcriptique codices offerebant, aut indicabant, iis mutavit, quas ſenſus communis, Latinitas, & carminum leges ſimul interdum refutarent. Praeterea viris ipſo longe majoribus, in primis *Bentlejo*, petulanter inſultavit, & ad lib. I. v. 764.

Aſſaracum atque Ilium, tutamque ſub Hectore Trojam.

****

„ hanc

„ hanc judicii formulam adſcripſit:

QUANTAE MOLIS ERAT DEFORMEM REDDERE VERSUM! „

Ut enim *Bentlejus*, praeclare de *Manilio* meritus, temerarias fecerit correctiones, *Stoeberum* tamen minime omnium decebat, *deformes* ei verſus objicere; quippe qui plurimos finxerit, quos veriſſime dixeris *deformes*; veluti modo memoratos, &

II, 3. *Herculem eumque facit, tutamque ſub Hectore Trojam.*

& IV, 404. *Luxuriae quoque pernix eſt, vigilatque ruinis.*

& V, 524. *Naturam eruere, orbemque invertere praedae.*

Utinam noſtri temporis homines, qui nunc paſſim praecipites in vitia feruntur, tot exemplis deterriti, tandem cautiores reddantur, & ipſi ſua corrigant errata; juvenes autem, noſtrae praeſertim disciplinae alumni, quorum conplures magno amore in literas inflammati ſunt, numerorum modorumque ſcientiam, Criticis pariter ac Poëtis neceſſariam, quam maturrime conſequi ſtudeant! Etenim poëtas emendare nemo poteſt, niſi qui ſyllabarum modos intelligit; in errores autem pueris ridendos ruunt, qui rudes eorum pulcherrima monumenta contrectant.

Cum pateret igitur veteres poëtas graviter adhuc laborare, & ab inperitis medicis infeliciter curari, ſtudioſe ſemper operam dedi, ut eos arte mea ſanarem. Hoc conſilio Obſervationes in vulgus edidi a. 1761. pro-

propenſo doctisſimorum virorum favore exceptas. Alii enim, ut *Withofius*, *Wesſelingius*, & *Hemſterhuſius* eas per literas vehementisſime collaudarunt; multi nonnullas in libris editis approbarunt, ut *Burmannus* ad Anthologiam, *Valckenaerius* ad *Euripiden*, *Heynius* in Add. & Corrig. ad *Virgilii* Georgica p. 225.

Unus, quod ſciam, *Ruhnkenius* V. C. (nam judicis, qui pro *pullis*, quibus ego codicis auctoritate *Juvenalis* Sat. XIV, 74. *nidos* ſubſtitueram, propugnavit, rationem non habeo) de correctione *Virgiliani* verſus 134. lib. I. Aen. diſſenſit. Ut igitur lectores, antequam judicent, rem diligenter penitusque cognoscant, ipſa verba reponam:

Eurum ad ſe Zephyrumque vocat. dehinc talia fatur:
Tantane vos *generis tenuit fiducia veſtri?*
Jam coelum terramque meo ſine numine, venti,
Miscere; & *tantas* audetis *tollere moles?*
Quos ego. *ſed motos praeſtat componere fluctus.*
Poſt mihi non ſimili poenâ commiſſa luetis.
Maturate *fugam*, *regique haec* dicite *veſtro:*
Non illi inperium pelagi ſaevumque tridentem;
Sed mihi ſorte datum. tenet ille immania ſaxa,
Veſtras, Eure, *domos. illa ſe jactet in aula*
Aeolus, & *clauſo ventorum carcere regnet.*

Ad haec Obſerv. cap. V. p. 54. cum alia, tum haec ſcripſi: „ — placetne inter *vos* -- *audetis* -- *luetis* -- *maturate* -- *dicite* -- [*Eure*] interponi, *Quos ego.* videlicet ulciscar? At quibus, quaeſo, niſi ventis Neptunus

******* 2 adeo

adeo vehementer minatur? Cur igitur ab his avertit repente sermonem stomachosiorem? -- Itaque tentabam: *Vos ego.* sic incommoda, quae dat vulgata lectio, devitantur.„ Dein ipsa Scriptorum loca, quae contra me facere viderentur, ostendi testimonio esse, eos in suis libris, *quos*, non invenisse. Postremo conjecturam *Statii*, magnum magistrum semper imitati, loco simillimo firmavi Theb. IV. ubi Tiresias graviter minatus subjicit v. 512.

Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacae
Spernite, ne moneo, & nobis saevire facultas.
Jamque ego vos. *avide subicit Phoebeïa Manto,*
Audiris, genitor, vulgusque exsangue propinquat.

Quid ad haec reprehensor? Argumenta nostra silentio praeterit; conjecturam modestissime propositam damnat ad *Aquil.* p. 147. hac nota: „ *Vos ego*: vir doctissimus; a quo ita dissentio, ut, si omnes codices haberent, *Vos ego*, unus spectatae fidei, *Quos ego*, hunc *Virgilii* manum conservasse putarem. „ Modeste! Sed operae pretium est audire dissentientis argumenta: „ Adeo luculenter oratio turbata exprimit Neptuni animum turbatum. Vere *Longinus* Π. Υ. § 20. ἐν τάξει γὰρ τὸ ἠρεμοῦν, ἐν ἀταξίᾳ δὲ τὸ πάθος. quam personarum etiam mutationem in tali animi commotione similibus exemplis illustrat § 27. „ Equidem turbato turbatum sermonem convenire non nego; verumtamen puto dubitari posse, an animus Neptuni, qui

summa placidum caput *extulit unda,*

valde

valde turbatus fuerit. Sed fuerit turbatus: perſonarum mutationem in tali animi commotione *ſimilibus* exemplis illuſtrari § 27. nego. Quatuor ibi reperias exempla, primum *Homeri*, ſecundum *Hecataei*, tertium *Demoſthenis*, quartum *Homeri*. Poëtae verſus hi ſunt Il. O, 346.

Ἕκτωρ δὲ Τρώεσσιν ἐκέκλετο, μακρὸν ἀΰσας,
Νηυσὶν ἐπισσεύεσθαι, ἐᾶν δ' ἔναρα βροτόεντα.
Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσσομαι.

& Odyſſ. Δ, 681.

Κῆρυξ, τίπτε δέ σε πρόεσαν μνηστῆρες ἀγαυοί;
Εἰπέμεναι δμωῇσιν Ὀδυσσῆος θείοιο
Ἔργων παύσασθαι, σφίσι δ' αὐτοῖς δαῖτα πένεσθαι;
Μὴ μνηστεύσαντες, μηδ' ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες,
Ὕστατα καὶ πύματα νῦν ἐνθάδε δειπνήσειαν,
Οἱ θάμ' ἀγειρόμενοι, βίοτον κατακείρετε πολλὸν,
Κτῆσιν Τηλεμάχοιο δαΐφρονος· οὐδέ τι πατρῶν·
Ὑμετέρων τὸ πρόσθεν ἀκούετε, παῖδες ἐόντες,
Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε.

Sed qui ſummam diſſimilitudinem non ſentit, nihil ſentit. *Demoſthenis* & *Hecataei* exempla, aeque diſſimilia, lectoris oculis itidem ſubjicerem, niſi chartae parcendum videretur. Longe ſimiliora ſunt ipſius *Maronis* exempla, quae *Tollius* dedit, Aen. XI, 405. & IV, 363.

Nec tibi *diva parens, generis nec Dardanus auctor,*
Perfide; *sed duris genuit* te *cautibus horrens*
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit *nostro? num lumina* flexit?
Num lacrymas victus dedit? *aut* miseratus *amantem*
est?

Habeo tamen, quod respondeam. Hic mulier Furiis incensa (376) loquitur; ibi Neptunus, qui

summa placidum caput *extulit unda.*

Miror itaque *Heynium*, quod *Ruhnkenii* judicium subsecutus ad *Virgilium* scripsit: „ Vir Doctus conj. *Vos ego*, quod vel in pedestri oratione deterius esset, ut praeclare jam monuit elegantissimus Ruhnkenius. -- „ Sed aut vehementer fallor, aut vir doctus Observationes nostras suis oculis non vidit. Vidisset enim se refutari loco *Statii*, qui tantum abfuit, ut sermoni pedestri similia scriberet, ut nonnullis *ore vix humano tonare* dictus sit. Sed ne plura: *Guyetus*, Criticus & poëta nobilis, quod mecum doctissimi reprehensores ignorabant, pariter antea correxit ad *Stat.* Th. IV, 276. ubi in annotationibus, Parisiensi *Michaëlis de Marolles* editioni junctis, sero reperi: „ *Vos*] MSS. *quos.* contra apud *Virg. quos ego*, pro, *vos.* G. „ Hujus autem judicium (pace dissentientium dicere liceat) multorum Rhetorum judiciis antepono.

Tempus etiam fuit, quo doctissimus *Verbeykius* de veri-

veritate correctionis dubitaret in *Ovidio* factae Metam. VII, 399.

quae te, justissima Phini,
Teque, *senex Peripha*, *pariter videre volantes:*

quam *Piersonius*, judex si quis alius idoneus, probaverat: sed amico veteri mox omnem dubitationem *Lactantius*, a me citatus, sustulit in Argum. *Venisse etiam Athenas*, *ubi* Phineum *&* *Periphan in aves conversos.* ubi *Burmannus:* „ *Hicque* Phenen -- Parm. „ a. 1496. Hinc enim conficias eum legisse, *Phini*, vel, *Phene.* conf. not. ad *Anton. Liber.* p. 47.

Ut autem *Lactantii* verba, deinceps reperta, correctioni pondus addunt, sic reperi, quorum judicio meum de pluribus locis judicium confirmarem. Nam *Nicolaus Heinsius*, quem Criticorum principem gaudemus in republica nostra fuisse, pariter inter alia conjecit in annotationibus ineditis in *Germanici* Phaen. *Arat.* v. 38.

Dictaeis *texere* adytis *famuli Corybantes.*

& in *Avieni* D. O. v. 166.

Quod procul in *Casiae vergit confinia rupis.*

168. *Issicus* immodico *donec sinus ore patescit.*

808. *Harum aliae* duris *referant vix litora nautis.*

& in O. M. 556.

Inter ferarum lustra ducebat diem.

Witho-

Withofius itidem in ora libri, qui cum plurimis aliis ad me pervenit, D. O. v. 980. correxit:

Explicat & Phrygiam tellus incurva Minorem.

Quid? quod quaedam correctiones firmantur lectionibus codicum deinceps editis; velut haec, quam p. 77. fecimus in *Orpheo* de Lapid. xv, 25.

> Τερπωλὴ δ' ἡδεῖα θεωμένου ἐς Φρένα σεῖο
> Βήσετ'.

nam Reg. exhibet, δήδια. Ex eodem libro reponendum XVIII, 62.

> Δεύτερον αὖτ' αἴθωνος ὑπὲρ λίθον Ἡφαίστοιο
> Τήκειν, ἡδείῃ τανάους θέλγοντα δράκοντας
> Ὀδμῇ.

pro, τόνγ' ἰδίῃ.
Quid? quod quaedam in ipsis Mff. libris inveniuntur. Quod enim conjecimus in *Arat.* Phaen. *Germanici* v. 34.

> *prima incunabula magni*
> Foverunt *Jovis*,

totidem literis exstat in Mf. P. quem cum pervulgatis libris *Heinfius* contulit; in duobus autem *Maximiani* V, 25.

> *Grande erat inflexos gradibus numerare capillos,*
> *Grande erat in niveo* pulla *colore coma.*

in

in *Avieni* vero Cod. Ambroſ. D. O. 951.

Erigitur *celſa in faſtigia priſca Sinope.*
1152. Spreverit *hos ſaltus.*
(quod & V. confirmat.) 1161.

Inde Teredoniae juga propter *maxima rupis.*
& 1314. *veſtimenta laborant*

Linea.

niſi conjectura ſit ipſius *Heinſii*; & 464.

Denique longo
Quà porrecta jacet ſpatio piſcoſa Propontis,
Et ſe *praecipiti fluctu furit Hellespontus*,
*Aegaeum*que *dehinc procul in mare; plurima Thraces*
Arva tenent.

Ibidem viri docti, *furit*, mutant, in *fugit*, aut, *ruit.*
„ Neutrum recte, inquit *Toupius* in Epiſt. Crit. ad
„ *Warburtonum* p. 170. Corrigendum omnino,

Et ſe *praecipiti fluctu* fert *Helleſpontus.* „

Equidem non inficior ſimiles verſus apud hunc inveniri
869.

Inter cauricrepas & ſcrupoſas convalles.

657. *Extulit, inſanam ſectantes Aeëtinen.*

1225. *Saxa habitant: ſaxis excudit Narcisſiten.*

******** 1203.

1203. *Et procerarum fluctu vernat palmarum.*

Inveniri item apud *Catullum;* veluti de N. P. & T. 3, 44. ad Manl. C. LXIII, 87. & apud *Maronem,* artificem ſummum naturae rerum exprimendae,

Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convalles.
&, *Aut leves ocreas lento ducunt argento.*

& *Francium*, magni magiſtri veſtigia ſequentem, in admirabili Epicedio *Ruteri:*

ductorque Batavi
Nominis in magno procedit Conſtantino.

Sed quis, niſi contra naturam contendere velit, praecipitis Hellesponti furorem tarditate ſpondeorum minuere conetur? Equidem non dubito, quin poëta ſcripſerit:

Et qua *praecipiti fluctu* furit *Hellespontus.*

nam ſic Ambroſ. librum habere teſtor; *Heinſius* autem multis ante annis teſtatus eſt ad *Virg.* Aen. x, 587. Aliae praeterea correctiones in Mſſ. libris olim reperientur. *Abrahamus* enim *Gronovius* V. C. multas, in his p. 72. factas, in iis legi confirmavit.

Hoc ſucceſſu animoſus, & promisſi memor prima libri ſecundi capita brevi poſt edidi, viriliter in hac Academia per juvenes, disputandi cupidos, defenſa; quod memoro, ne quis *Hemſterhuſium* viventem Cap. II. p. 26.

p. 26. laudari miretur, & tertium caput ab amicisſimo *Valckenaerio* citari Diatr. in *Euripidis* Perditorum Dramatum Reliquias cap. xv. p. 160. *Chalmotus* exinde, bibliopola nobilis, qui librum nitidius edendum ſusceperat, a me contendit, atque inpetravit, ut titulus mutaretur. Hinc *Emendationum liber* inſcriptus eſt. Ab eo tempore parum proceſsit opus, cum vel me vel librarium aliud ex alio moraretur. Unde accidit, ut nonnulli correctiones a me repertas, & cum juvenibus, literarum ſtudioſis, & amicis, communicatas, veluti ſuas, ederent. Sed non habeo neceſſe ſingulas vindicare: nam quis repertor fuerit, ipſae rerum peritis indicabunt.

Interea, jam confectis & editis Animadverſionibus in *Propertium*, leges in hac regione latae ſunt, quae praeclaros librarii conatus plane retardarent. Itaque ſatius fuit librum, praeſertim qui jam juſtae magnitudinis videretur, adjectis aliquot notis in verſus *Ovidio* ſuppoſitos, vulgare, quam diutius meliora tempora ſperare. In eo praecipuis aurei ſeculi poëtis, graviter aegrotantibus, adhibui medicinam, vel in Mſſ. libris, quorum ſemper fuit copia, feliciter repertam, vel ab ingenio petitam. Pleraque enim vitia, praeſertim graviora, ſuperſtitibus libris ſunt vetuſtiora. Cap. II & III disputationes invenies de Culicis & Ciris auctore; correctiones autem, quas *Ti. Hemſterhuſius* in *Propertio* fecit, per V, & ſubſequentia diſperſas. Id vero perſaepe egi, ut futiles & commenticias de ſyllabarum modis opiniones, licet penitus inſitas, animis hominum radicitus evellerem, longe plures evulſurus, ſi telam

 perte-

pertexere licuiſſet, & ad Chriſtianos poëtas, atque adeo *Gualteros* & *Guntheros*, a me quondam correctos, devenire.

Emendationes pleraeque, niſi multum fallor, ipſo ſole ſunt illuſtriores & clariores; nonnullae tamen in Conjecturarum numero reponendae. Cauſſa, quod amici veteres, in his *Janus Grotius*, & *Carolus Antonius Wetſtenius*, JCtorum elegantisſimi, iidemque poëtae clarisſimi, flagitabant, ut vel conjecturae meae de verſibus *Propertii* & *Naſonis*, quibus delectantur, ederentur. Verum ſic quoque, quantum auguror, novus hic libellus Criticis, veri ſtudioſis, placebit. Ut enim mittam, quod aliae correctiones *Heynii*, viri praeſtantisſimi, qui Culicem & Cirin nuper edidit, judicio firmantur; aliae praeclarae vocantur in humanisſimis ejusdem literis d. 9 Julii Gottingae ſcriptis; *Hemſterhuſius* primas paginas approbavit; reliquas *Petrus Fonteinius*, noſtri temporis Ariſtarchus. Quid? quod eruditisſimi viri in libris editis jam praeclara de particulâ operis, & nonnullis Emendationibus judicia fecerunt; ut *Valckenaerius* l. c. *Burmannus* in Commentario *Dorvilii* Siculis addito p. 650. & *Bavius Voorda* ad *Jani a Coſta* Praelectiones ad illuſtriores titulos locaque ſelecta J. C. p. 108; de omnibus autem *Wetſtenius* Carminum p. 121. Sed haec hactenus; ne videar tuo, Benevole Lector, judicio diffidere.

IN

JANI SCHRADERI

EMENDATIONES.



Dum Latium ſublime, bonas dum funditus artes,
  Orta ſub Arctöo cardine, perdit hyems;
Dum temere infrenus ferro graſſatur et igni
  Hoſtis; & in cineres ruderaque ipſa furit;
Rara quidem Gothicis ſubducta volumina flammis;
  Raraque de tanta ſcrinia clade ſuper.
Sed lacera adſperſisque jacent deformia naevis;
  Et medicam ad plagas poſcere viſa manum.
Pulvere in hoc igitur doctorum cura virorum
  Aeſtuat. hinc titulos, hinc ſibi nomen amant.
Scaeva ſed eximiis obrepit inertia ceptis;
  Marcet & inculto palma relicta ſitu.
Scaligeri Manes! tuque, ô Salmaſia laurus!
  Laurus, Apollinëo ſuspicienda choro!
Aque novem numeros edocte Sororibus, Heinſi!
  Heinſi, Caſtalio pectora plene Deo!
Aptaque tollendis, Gronovia dextera, naevis!
  Et Criticae Veneris, Graevia lima, ſalus!
Faxque triumphati domitrix Bentleïa fati,
  Grande per Europam ſpargere nata jubar!
Per vos robigo ſenii deterſa maligni;
  Et ſuus antiquis ſtat recidivus honos.
Inluſtres animae! plaudentibus addita ſtellis
  Nomina, vel ſera non abolenda die!

Osſibus e veſtris acer (gaudete!) reſurgit
Ultor; & in veſtro pulvere flectit equos.
Exſulet ut pridem Critice Romana Batavo
Limine; finitimo templa ſub axe tenet;
Et Myſtam, teneris ſibi quem ſtudioſa ſub annis
Finxit; & arcanis inbuit ipſa ſuis.
Spumanti vicina ſalo, qua Franeca dulci
Hoſpitio Muſas caſtaque ſacra fovet.
Addiderim nomen; ſed me res ipſa tacente
Clamat; & Auctorem ſcripta latere vetant.
Ecquis enim, Schradere, tuae neſciret acumen
Mentis, & eloquii fulmina vimque tui!
Quid loquar, antiquis non inficianda Poëtis,
Carmina, Romanam te feriente lyram?
Carmina; nequidquam quae Zoïlus ore canino
Inpetat; Aonio quippe probata choro!
Carmina; quae legimus dum ſuſpicimuſque; (Poëtas
Credula quos Phoebo fama ſilente vocat)
Pene pudet lauros adfectaviſſe negatas.
Pene pudet ſteriles increpuiſſe fides.
Jure quidem tanto Lavica ſuperbus alumno
Hac tibi, Rhene pater, cedere laude negat.
Adgnoſco fateorque lubens, Schradere. Camoenis
Si qua meis veniat; gloria tota tua eſt.
Tu mea cum docto renovas commercia Pindo,
Saepius abjecta pene diremta lyra.
Idem Cenſor ades; quum chartis carmina mando.
Seu vulganda mones; ſive abolenda jubes.
Quae vulganda mones, dia mox luce fruuntur.
Traduntur rapidis deteriora focis.
Non etenim, (ſcis hoc) inflati more Vacerrae,
Solus amo Muſas ipſe proboque meas.
Sint, mea qui laudent, ſint, qui mea carmina culpent.
Hic mihi det nomen Vatis; at ille neget.
Non ego fallacis venor ſuffragia famae.
Jane, tuas aures conſuluiſſe ſat eſt.
Vix mihi te donat ſpatio Lavica trimeſtri.
Ah! nimium votis invidus ille meis.
Quo brevior nobis, quo rarior, iſta voluptas
Plenior hoc certe liberiorque venit.

Sive


Sive per Hiſtoriae pelagus vectamur apertum;
Quaque lubet, vaſtis exſpatiamur aquis.
Fortunaeque vices, validisque revolvimus armis
Parta, ſed, heu! nulli regna retenta diu.
Aſſyrios, Perſas, &, belli fulmina, Grajos;
Teque, potens rerum, Martia Roma, caput.
Seu ſacris Critices operamur; &, auſpice Diva,
Pellimus admiſſa nubila tetra face.
Seu magis excuſſas fugitivi Temporis alas,
Qua licet, Aöniae ſiſtimus arte lyrae.
Saepe dies molli veniens offendit in herba
Dulcia pangentes carmina; ſaepe cadens.
Interea pleno quum Luna ter orbe recrevit;
Finibus a noſtris te dare vela jubet.
Depoſitumque ſuum Batavos Lavica repoſcit.
Ah! nimium votis invidus ille meis.
Digredimur, junctis in mutua foedera dextris;
Et moeſtum moeſto dicimus ore vale.
ô Ubi nunc hilares ad pocula plena Camoenae!
Vosque, coronatae flore juvante lyrae?
ô Ubi ſermonumque vices? Cenſuraque vatum
Libera; ſed, quamvis libera, vera tamen?
Hei mihi! mente pares cur dividit aequor Amicos;
Et vetat adſpectu conloquioque frui?
Te tenet Aöniis operantem Franeca ſacris.
Me tenet ad Rheni Leida ſonantis aquas.
At ſine Schradero mihi Rhenus amarior Iſtro.
Nec ſine Schradero me mea Leida juvat.
Jamque vale, dilecte! vale! limaque potenti
Scrinia nativo prisca nitore bea.
Fercula plebejo ſapiant plebeja palato.
Nauſëet ad ſacras turba profana dapes.
Tu fatuam fatuis glandem permitte Vacerris.
Cocta tuam melius ſedet ariſta famem.
Alter inutilibus nugis inſudet; & atro
Dente petat, nugis quae meliora ſuis.
Te majora vocant (quid enim, niſi grande, minaris?)
Sertaque, ſelecto, Jane, legenda jugo;
Semita qua potior mirantia ſurgit in aſtra;
Non niſi praeclaris ſemita trita viris.

Te

Te procul adſpiciant, intabeſcantque tuendo;
  Quos adytis Critice ſubmovet alma ſuis.
Exſere, Piërio plenum jubar exſere coelo.
  Vatibus, ô! ſolus qui potes, adfer opem.
Quicquid enim Latii majeſtas enthea Phoebi
  (Ceſſerit ingenio Grajus & arte!) dedit;
Quicquid edax Tempus non abſtulit; ecce! renidet
  Cultius & curis terſius omne tuis.
Geſtit inumbratus frontem vernante Catullus
  Flore ſalutiferas demeruiſſe manus.
Tum Phrygis Aeneae qui bella viasque renarrans
  Inplet Homeriacam, quo decet, ore tubam.
Quin & Pindaricos vaſtum per inane volatus
  Flaccus ovat penna jam propiore ſequi.
Nec minus his orſis debes, facunde Properti,
  Gratior hinc Dominae nempe future tuae!
Aut tu, cui Nemeſis, poſito cui Delia faſtu,
  Elyſia violas valle roſasque legunt.
Tuque, pharetrati, Naſo, praeceptor Amoris!
  Naſo, Caſtalii cygne canore Dei!
Seu (nova materies!) priscis tua Muſa puellis
  Dictat ab ingratis verba legenda viris.
Sive Chäos, vaſtique refers primordia mundi:
  Et canis in varios corpora verſa modos.
Eruta ſeu patriis Annalibus acta recenſes;
  Aſtraque, ſub terras lapſa, vel orta polo.
Seu querulum, Dominae recubans in limine, carmen
  Non audituras concinis ante fores.
Ecquis in Auſonio, precor, ingenioſius orbe
  Movit Apollinëae fila ſonora lyrae?
Litora ſed fati veterum ſi cura laborum
  Trajicit; & Manes laudis adurit amor;
Te plauſu, te, Jane, lyra, te voce frequentant;
  Sertaque de querna civica fronde parant.

CAROLVS ANTONIVS WETSTENIVS, *J. C.*

JO.



JO. SCHRADERI EMENDATIONVM LIBER.

CAPVT I.

Disquisitio de corruptissimo Catulli versu. Pulvis Erythrii rejicitur. ae in Erythraei, & similibus breviter dici nequit. Erythreus, Dioneus, & similia non dicuntur brevi syllaba, quae est proxima a postrema. Scaligeri, & Achillis Statii conjecturae rejiciuntur. Inperitia, & barbaries J. F. Corradini de Allio exemplis ostensa. Pulveris Eretri refutatur. Pulvis Euboicus; aethereus; aridus. Emendatus Catullus. Arenas & sidera numerare. Pulverem numerare. Appellativa nomina nonnunquam in propria abeunt. Caussa corrupti versus Virgilii. Servius non tradidit Veteres declinasse, hic pulvis, hujus pulvis. Varii versus Catulli leviter correcti. Thalassio jubet servire. Jubet, & lubet confunduntur. Barathrum siccat solum emulsa palude. Tantum mutatus. Vestibuli tecta ferri nequeunt. Carmen Catullo tributum corrigitur. In Priapeiis versibus ejus poëtae quarta sede fere semper trochaeus apparet. Saepe & semper permutantur. Duae conjecturae in Catullo propositae. Salsa male. Hesperus idem est, qui mane Eöus mutato nomine. Utrumque nomen venuste ponitur.

Cum multa, post tot doctissimorum hominum curas, in *Catulli* scriptis nequaquam satis adhuc emendata sunt, tum grave mendum continet Carm. LXII. in Nuptias *Juliae & Manlii* v. 206.

Ille pulveris eritei,

 Siderumque

Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui veſtri numerare vult
Multa millia ludi.

De quo tollendo tam variae ſunt interpretum, tamque diverſae ſententiae, ut omnes perdifficiliter exponi queant.

Is. Voſſius cenſet omnino poëtam ſcripſiſſe *pulvis Erythrii*, quem „ ſic explicat p. 145. Erythron tractus eſt ſeu pars Cyrenaicae, cujus „ mentionem facit Ptolemaeus. Tractus hic ſatis late patebat, utpo„ te qui non tantum promontorium, quod Ἐρυθρὸν ἄκρον Stepha„ nus vocat, ſed complura inſuper oppida ſeu vicos contineret. -- „ porro ab Erythrio agro, ejusque oppidis Palaebisca & Hydrace „ incipiebat Libya ſiticuloſa ſeu arenoſa. -- Cum itaque Erythros „ vel Erythron vocetur illa Cyrenaicae portio, quae Libyae areno„ ſae eſt vicina, & ab eo dictus ſit ſinus Erythrius, -- clarum eſt „ pulverem Erythrium a Catullo appellari arenas Cyrenaicas. Ipſe „ ſemetipſum explicat in Epigrammate ad Lesbiam,

„ *Quam magnus numerus Libysſae arenae,*
„ *Laſerpiciferis jacet Cyrenis* &c.

Multa tamen ſunt, quae nos asſenſionem cohibere jubeant. Primum codices omnes, in his duo *Voſſiani*, quos inſpeximus, offerunt, *pulveris*, idemque exhibet exemplar vetus, quod Regii Lepidi prodiit Anno 1481, uti jam monuit *Jo. Ger. Voſſius* de Vitiis L. S. I, 21. Deinde nemo omnium ſcriptorum, qui quidem ſuperſunt, *pulvis* uſurpavit pro *pulveris*. Praeterea ſatis eſt argumenti *Catullum* non ſcripſiſſe *pulvis*, quod Grammaticorum nulli inſolitae rei meminerunt. Denique Latinorum poëtarum ſcripta pervolutanti *Erythraeus* omnibus locis ſe offert; *Erythrius* autem nusquam reperias. Poſtremo, ſi *Catullus*, qui plane & dilucide loqui ſolet, arenas Cyrenaicas intelligi voluiſſet, ad *Erythrium* pulverem aliquid adjunxiſſet, quod aperte locum indicaret, ne quis Erythraei maris arenam ſignificari putaret, ut nunc *Erythraeum pulverem* videmus explicari. Quam multis, exempli cauſſa, verbis mentem explicat, & ſitum loci aperit in his ipſis verſibus, quibus opinionem confirmare conatur *Voſſius*,

Quam

Quam magnus numerus Libysſae arenae
Laſerpiciferis jacet Cyrenis
Oraclum Jovis inter aeſtuoſi,
Et Batti veteris ſacrum ſepulcrum?

Temere itaque fecit, ut ſaepe, *Jo. Antonius Vulpius*, qui parum certam *Vosſii* conjecturam nuper asſenſione ſua conprobavit, atque adeo fidenter edidit.

Gravius tamen peccant *Guarinus*, *Pasſeratius*, *Gebhardus*, *Douzae*, & alii, qui *pulvis Erythraei* dederunt. Nam diphthongus *ae*, ſequente vocali, in hoc vocabulo nusquam corripitur, nec corripi poteſt. Multi quidem, in his *J. G. Vosſius* Art. Gramm. II, 15. atque adeo *N. Heinſius* ad *Prudentii* Cathem. VII, 124. putant diphthongos in talibus esſe communes: ſed corruptis locis pugnant, in primis *Ovidii* Triſt. III, XII, 1.

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto
Longior antiquis viſa Maeotis *hyems*.

ubi meliores interpretes, atque ipſe *Heinſius* vocem *Maeotis* mendum continere confitentur; quod *Jo. Hildebrandus Withoſius*, in principibus Criticis habendus, in obſervatis ad Orat. in Obit. Regis Borusſiae p. 72. nuper ſuſtulit hoc modo:

Frigora jam Zephyri minuunt, annisque peracta
Longior antiquis viſa remiſit *hyems*.

Nam *Prudentii*, qui *Maeandros* extulit brevi prima ſyllaba, & ſimilium poëtarum rationem non habemus.

Non tamen audiendus eſt *Muretus*, qui legit *Erythrei*, detrita, ut inquit, una e diphthongo litera metri causſa. Poëtis enim tantum licentiae non datur. Exemplum quidem *Muretus* affert e Carm. XXX, 9.

Ut albulus columbulus Dioneus.

quam lectionem *Vosſius* itidem tuetur A. Gramm. II, 33. Sed & haec dubia eſt, & controverſa. In libris enim manu ſcriptis, etiam *Vosſianis*, invenitur, *columbus aut idoneus;* unde *Achilles Statius*, & *Scaliger*, quos *Vulpius* & alii ſequuntur, emendant, *aut Adoneus; Iſacus* autem *Vosſius*, *columbus Aïdoneus; Nicolaus Heinſius*

 vero

vero *columbulus Dionius*, in Notis ad *Catull.* p. 641. & *Virgil.* Aeneid. 1, 201. *Erythrei* tamen patronum non e multis habuit *Jac. Phil. Dorvillium*, qui in ſchedis ineditis defendi poſſe notaverat exemplis *Phaedri* V, 1, 1.

Demetrius, *qui dictus eſt* Phalereus.

& *Theocriti* IV, 6.

Ὀυκ ἄκȣσας; ἄγων νιν ἐπ' Ἀλφεὸν ᾤχετο Μίλων.

Sed primum de Latinis, non autem Graecis agimus: deinde *Erythreus* pro *Erythraeus*, & Ἀλφεὸς pro Ἀλφεῖος differunt: denique locus *Phaedri* controverſus eſt. *Heinſius* enim Syllog. *Burm.* Tom. v. p. 69. legit *Phalerius*; *Burmannus* autem, vocibus trajectis, edidit:

Demetrius, *Phalereus qui dictus eſt.*

Poſtremo *pulvis*, uti monitum, plane ferri nequit.

Sed haec hactenus: ponam nunc in medio ſententias eorum, qui *pulveris* ſervant. *Parthenius* olim dedit, *pulveris Erythraei*; ſed longius excurrente verſu, quam per legem liceat, uti jam *Paſſeratius* monuit. *Scaliger* autem notat: priſca ſcriptura, *erithei*, prae „ ſe ferre videtur *enthei*, ut alludi poſſit ad entheos Bellonae, quos „ Bellonarios vocabant, qui ſurſum vim magnam pulveris ſubjectabant. Sed nemo repertus eſt, qui in ejus ſententiam nulla re probabilem diſcederet. *Achillis* vero *Statii* ſingularis eſt inconſtantia: modo enim legendum conjicit, ille pulveris *interim*; modo, pulveris *Antaei*; modo, *Eretrî*, vel *Erretrî*; tum autem *Erytri*, ſic ut prima in voce producatur Ὁμηρικῶς, ut loquitur. Sed *interim* frigidum, & plane jejunum videtur; *Antaei* autem non magis ferri poteſt, quam *pulvis Erythraei*; minus *Erythri*. Nam prima ſyllaba vocum Ἐρυθρὸς, Ἐρυθραῖος, & *Erythraeus* ab omnibus poëtis corripitur. Hoc tamen placuit *J. F. Corradino de Allio*, cujus *Catullus* in integrum reſtitutus, ut jactat, ex manuſcripto codice, Romae reperto, lucem vidit Venetiis anno 1738. Sed, quam peritus numerorum fuerit, oſtendit ſic edens Carm. XLVIII, 4,

Nec unquam inde coram *ſatur futurus.*

& LXIX, 79.

Quam jejuna pium deficeret *ara cruorem.*

& XXXVII, 12.

Quae ſanctum Idalium, Erycosque *apertos.*

„ cujus

„ cujus lectionis hanc causſam reddit: Nam urbs Eryx erat in „ valle Mazara, ubi fuit templum nobile Veneris, quae inde „ Erycina dicta eſt. & xcvi, 7.

At Voluſi annales Gadium *portentur* ad ipſam.

cujus ſcripturae venuſtas ut intelligi posſit, auctoris verba ponam: „ contra quae ſomnia amplector lectionem auream codicis noſtri, „ *Gaduam* portentur ad ipſam, ex *Gaduam* tamen facio, *Gadium*, „ *u* & *a* invicem in mſſ. ut omnes norunt. Gades enim inſula „ parva Hispaniae in mari Oceano, ubi ſcombrorum maxima „ copia. Mitto nunc alia non minus abſona & abſurda, quibus, aeque ac maledictis ex trivio arreptis, inpudens conviciator ſaepe totas paginas inplevit annalium Voluſianorum fato dignisſimas. Nam quid de fide ejus oſtentatoris, codicem Romae repertum jactantis, judicandum ſit, apparet ex hoc teſtimonio *Scipionis* „ *Maffeji* in Appendice Muſei Veronenſis p. ccv. Prodiit quidem „ ante hos decem annos Corradinus quidam, literis ſatis inqui- „ natus, qui Catullum ex antiquisſimo codice Romae reperto „ edere jactavit; ſed illum mendacii manifeſtum tenemus: quin „ de hac ludificatione ridebat interdum, ut accepi, fabulando. „ In eo libro cum quibusdam ingenii luminibus deliria ſociavit „ multa. Catulli etiam apud me codicem laudavit ſaepius, quem „ ego nec appellavi, nec habui. Nec tamen defuere, qui notas hominis, ut exquiſita doctrina refertas, commendarent, eumque, unicum ſcilicet *Catulli* reſtitutorem, ſummis in coelum laudibus efferrent, & in carminibus edendis ſequerentur! Sed tempus eſt ad *Achillis Statii* conjecturas redire. Tertia, *pulveris Eretrî*, quodam tempore placuit *Heinſio*, qui in epiſtola, d. 17 Martii A. 1678. ad *Graevium* ſcripta, ſed nondum edita, ſenſa mentis explicat hoc modo: „ In *Catulli* loco nihil praeſidii a codicibus ſcriptis, quorum ex- „ cerpta complura posſideo, cum petatur, asſentior *Achilli Statio* „ mutatione minima reponenti, *Ille pulveris* Eretrî, pro *Eretrii*, „ ab Eretria, oppido Euboico. An dicemus alluſisſe *Catullum* ad „ pulverem illum, cui pares annos ab Apolline Sibylla olim eſt „ precata? & hanc dici vatem Euboicam minime ignoras. Equidem non ignoro *Statium* dixisſe Sylv. I, iv, 126.

Euboici *transſcendere* pulveris *annos*.

Verum quis credat pulverem, cui pares annos Sibylla, ab urbe

Italiae Cumaea dicta, rogaverat, pariter *Eretrium* vocari, idque a poëta, qui plane & aperte loqui ſoleat? Nemo certe *Eretrii pulveris*, ut *Euboici*, vel *arenae Libycae* meminit. Deinde nemo omnium poëtarum Latinorum longa prima ſyllaba dixit *Eretrius. Homerus* tamen, inquiunt, Iliad. B, 537. ſcripſit,

Χαλκίδα τ' Ἐρέτριάν τε; vel Ἐρρέτριάν τε.

Immo vero conſtat ex *Euſtathio* poëtam ſcripſiſſe Εἰρέτριαν, ut nunc in pervulgatis notae melioris libris exhibetur. Idem *Heinſius* alias conjecturas profert in Notis ad *Catullum* p. 644. ubi, Lege, inquit, *pulveris aetherî*, vel *aërî*, pro *aetherei* vel *aërei*. -- ſcriptum fuerat „ *aetherei*, hinc *Erythraei* factum. Per *pulverem aethereum* atomos „ innuit, quas eſſe numero infinitas ex Epicuri & Democriti ſtatuit „ ſententia, mundosque infinitos, quos ſub ſtellarum nomine com- „ plectitur. -- forte & *Africi*. Prius debetur *Th. Marcilio*, qui „ ſic exponit: *pulvis aethereus*, aut *aëreus*, corpuscula in ſole, de „ quibus *Lucretius* lib. IV. aut pulvis *aethereus*, ſive *aëreus*, qui „ excitatur de terra in aërem, ut cum Maroni, *ſtat pulvere coelum*. Poſterior explicatio, quae ſimplicior & veriſimilior eſt *Heinſiana*, firmari poteſt *Aeſchyli* loco in ſeptem contra Thebas v. 81.

Αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖ —
σ', ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος.

ubi Scholia: ὁ ἐν τῷ ἀέρι ἀναφερόμενος κονιορτός —— αἰθερία δὲ κόνις, ἡ αἰρομένη μέχρι τοῦ ἀέρος. Atque hanc lectionem *Vulpius* adolescens probabat. Vellem tamen docuiſſent Latinos poëtas *aethereum pulverem* ſic uſurpaſſe, & cum ſideribus in hujusmodi locutionibus conjunxiſſe. Multis igitur forte probabilior videbitur altera viri perſpicaciſſimi conjectura, *pulveris Africi*: centies enim Libycas arenas in talibus poëtae memorant.

Vix tamen dubito, quin *Catullus* olim ſcripſerit,

Ille pulveris aridi,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius.

Hoc ad optimorum librorum, quos *Achilles Statius* inſpexit, & *Voſſianorum* ſcripturam, *eritei*, & *ericei*, proxime accedit. Nam literas *t* & *d*, atque *a* & *e* perpetuo permutari conſtat. *Pulvis* autem *ſiccus Lucano* dicitur IX, 342, 974. *Columellae* X, 153. & *arida*

da Propertio II, x, 35. qui nunc jacet *arida pulvis;* ut habet *Sosipater Charisius* Instit. Gramm. 1. p. 69. ed. *Putsch.* & excerpta codicis *Borrichiani.* In designanda vero magna multitudine saepe scriptores *arenas* & *sidera* similiter conjungunt, ut *Moses* Genes. XXII, 17. *Daniel* III, 36. *Paullus* ad Rom. IV, 18. Auctor ep. ad Hebr. XI, 12. *Sedulius* I, 85. *Boëthius* de Consol. Philos. II. M. II, 3. &, quos laudat *Burmannus* ad *Lotich.* Tom. 1. p. 282. atque adeo *Catullus* ipse VII, 3. de basiationibus Lesbiae:

> *Quam magnus* numerus Libyssae arenae
> *Laserpiciferis jacet Cyrenis:*
> *Aut quam* sidera multa, *cum tacet nox*,
> *Furtivos hominum vident amores.*

Dicat aliquis *arenas* in his locis, non autem *pulverem* occurrere: sed ea verba saepe scriptores permutant, ut *Horatius*, *Ovidius*, *Lucanus*, *Claudianus* de B. Gild. 398, 403. & *Sidonius* Carm. II, 59.

> *Dicarcheae translatus* pulvis arenae.

v. *Bentlej.* ad *Lucan.* VIII, 761. & *Passerat.* ad h. l. qui *pulvis* hic pro arena sumi dudum monuit. Deinde κόνις, & *pulvis* eodem modo frequentantur. *Homerus* Iliad. I, 385.

> Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Philippus Anthol. IV. p. 404. ed. *Wechel.*

> Λοιπῶν δ' ἀέθλων ἣν ἐρευνήσῃς κρότον,
> Καὶ τὴν Λίβυσσαν ἐξαριθμήσεις κόνιν.

ubi vides Λίβυσσαν κόνιν plane usurpari, ut arenam Libyssam. Vulgatus interpres Genes. XIII, 16. *Faciamque semen tuum, sicut* pulverem terrae: *si quis potest hominum* numerare pulverem terrae, *semen quoque tuum numerare poterit.* & XXVIII, 41. *eritque semen tuum quasi* pulvis terrae. & Paralip. II, 1, 9. *Tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam* innumerabilis *est*, *quam* pulvis terrae. *Ovidius* Metam. XIV, 145.

> *Superest* numeros *ut* pulveris *aequem.*

& 136.

> *ego* pulveris *hausti*
> *Ostendens cumulum, quot haberet corpora* pulvis;
> *Tot mihi natales contingere vana rogavi.*

Sed

Sed inprimis appositus ad probandum locus est Trist. I, v, 47.

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera *lucent*,
Parvaque quot siccus *corpora* pulvis *habet*.

ubi, ne de imitatione, & veritate correctionis dubites, *sidera* & *siccus pulvis* eodem modo conjunguntur, ut in versu *Catulli* per nos restituto. Favere videtur etiam sententiae nostrae *Calpurnius* Ecl. II, 72.

Qui numerare velit, *quam* multa *sub arbore nostra*
Poma legam, citius tenues numerabit arenas.

Manifesta est enim imitatio verborum *Catulli*:

Ille pulveris aridi
Subducat numerum prius,
Qui *vestri* numerare vult
Multa *millia ludi*.

At enim, forte dicet aliquis, nomina appellativa in propria non mutantur. Sed praestantissimi codices habent *eritei*, & *ericei*, unde *erithrei* fluxit, quod in suo legi monet *Burmannus* ad *Lotich. l. c.* Deinde librarios interdum sic lapsos esse constat ex *Juvenale* VI, 204.

Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles; hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidumque Tarentum.

uti recte correxerunt *Hieronymus Nogarola* apud *Janum Parrhasium* in Quaesitis per epistol. 28. *Balbus* ad *Valer. Flacc.* III, 555. & *Pithoeus*, cum codices offerant *Istros*, *Histros*, & *Hystros*; & *Marone* Aen. VII, 764.

Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Egeriae eductum lucis, Hymettia *circum*
Litora, *pinguis ubi & placabilis ara Dianae.*

Sic enim *N. Heinsius* & *Burmannus* edidere, cum codex Mediceus, & alii notae melioris recte haberent *humentia*. Labes autem fluxit ex IX, 583.

Genitor quem miserat Arcens
Eductum Martis luco, Symaethia *circum*
Flumina, *pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

Vi-

Videlicet hinc librarii fecere *Symaethia*, quod in *Leidensi* codice reperitur, &, *s* a praecedente litera absorpta, *ymetia*, *ymettia*, *Hymettia*, quae varii codices exhibent.

Haec fere multis abhinc annis scripseram, cum indicio *Burmanni* ad *Lotichium*, per id tempus editum, Tom. 1. p. 282. cognovi *Broekhusium* pariter tentasse, *pulveris aridi*, & pene statui correctionem, rationibus & exemplis firmatam, quod & alteri in mentem venisset, premere. Sed nuperrime consilium mutavi, quod inventori sua conjectura non satis placuerit. Sic enim poëtarum disertissimus interpres in nota MS. quam *Burmannus*, vir omni liberali doctrina, & humanitate politissimus, quocum de nonnullis *Catulli* versibus correctis communicaveram, in his diebus ad me „ misit: Nihil hinc sani elicere est. Vide *Scalig*. p. 49. *Passer*. „ p. 22, 23. *Voss*. p. 145. legit, *Ille pulvis Erythii*, ut τὸ *pulvis* sit „ genitivus antiquus. idem illud fecerat *Guarinus* apud *Achillem* „ *Statium* p. 196. quem vide. Ego quoque capillum promittam, „ & hariolari incipiam. Fuit, cum suspicarer non incommode „ legi posse, *Ille pulveris aridi*, quod non multum abludit a vesti- „ giis priscae scripturae. *Virgilius* de cornice pluviam vocante:

„ *Et sola in* sicca *secum spatiatur* arena.

„ *Sicca arena* est *Catulli aridus pulvis*. pulveris autem proprium „ *arere*. *Propertius* quoque, quanquam non eodem sensu, *aridam* „ dixit *pulverem* lib. II. El. x, 35. Nec tamen, (ut dicam, quod „ res est,) mea mihi conjectura satis placet. Veteres declina- „ bant, *hic pulvis*, *hujus pulvis*. v. *Serv*. ad IV. Georg. 122. Vul- „ gatam lectionem imitatione sua comprobare videtur *Georg. An* „ *selmus* VII. Epigr. XIII. 108.

Sed, pace viri doctissimi dixerim, nihil tale *Servius* tradidit, cujus haec verba sunt: Sane *hic cucumis*, *hujus cucumis* decli- „ natur; sicut, *agilis*, secundum idoneos. Nam neoterici, *hic* „ *cucumer*, *hujus cucumeris* dixerunt, sicut *pulver*, *pulveris*. Nec *Priscianus*, qui lib. VI. p. 707. ed. *Puts*. eandem materiam „ tractat: Illa quoque tam in *is*, quam in *er* finita nomina regulam „ servant in *er* terminatorum, id est, accepta *is* faciunt geniti- „ vum, ut hic *pulvis*, & *pulver*, *pulveris*; *hic cucumis*, & *cucumer*, „ *cucumeris*; hic *cinis* & *ciner*, *cineris*; hic *vomis* & *vomer*, *vomeris*.

B Verum

Verum de correctione versus vexatissimi satis superque dictum est; de caeteris agam quam brevissime potero.

Eodem carmine v. 126.

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio:
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine, satis diu
Lusisti nucibus, lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine, nuces da.

Ad verba, *lubet jam servire Thalassio*, notat *Passeratius:* lubet hero ,, tuo operari Hymenaeo, non tibi, ut *Propertius* El. 6. lib. I.

,, *Nam tua non aetas unquam* servivit amori.

,, & *servire*, quia Dii heri, & domini. *Thalassius*, & *Thalassus*, ,, & *Thalassio* dicebatur. Vellem probasset in usu fuisse *Thalassius*. Deinde, quem non offendat ad herum referri *lubet*, cum sermo convertatur ad concubinum? *Vulpius* interpretatur: Nuptiis ,, videlicet veteris domini, ac dominae tuae vel nuptiarum Deo. Sed quo modo *lubens* nuptiis servire dici potest concubinus ab hero, cui fuerat in deliciis, desertus, atque adeo brevi post *miser* vocatus?

Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser, ah miser
Concubine, nuces da.

Quanto rectius legas,

jubet
Jam servire Thalassio!

Nuptiae veteris heri, & herae novae jam te, delicias ante domini, servire jubent. Nihil facilius hac mutatione. Sic apud *Livium* V, xv, 8. pro, *jubere*, liber offert *lubere:* contra in *Catulli* Carm. XXVII, 4. pro,

At

At vos, quo lubet, *hinc abite lymphae.*

duo *Vossiani*, *jubet.*

Carm. LXIX, 107.

tanto te absorbens vertice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graji Pheneum prope Cylleneum
Siccari *emulsa pingue palude solum*,
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades.

Haec egregie illustrat unicus & perappositus *Pausaniae* locus in Arcad. cap. XIV. Καρύων δὲ στάδια πέντε ἀφέστηκεν ἥ τε Ὄρεξις καλουμένη, καὶ ἕτερον ὄρος Σκίαθις. ἐφ' ἑκατέρῳ δέ ἐστι τῷ ὄρει βάραθρον τὸ ὕδωρ καταδεχόμενον τὸ ἐκ τοῦ πεδίου. τὰ δὲ βάραθρα οἱ Φενεᾶται ταῦτα φασὶν εἶναι χειροποίητα, ποιῆσαι δὲ αὐτὰ Ἡρακλέα· διὰ μέσου δὲ ὤρυξεν Ἡρακλῆς τοῦ Φενεατῶν πεδίου ῥεῦμα εἶναι τῷ ποταμῷ τῷ Ὀλβίῳ—μῆκος μὲν τοῦ ὀρύγματος, στάδιοι πεντήκοντά εἰσι. βάθος δὲ ὅσον μὴ πεπτωκός ἐστιν αὐτοῦ, καὶ ἐς τριάκοντα καθήκει πόδας. —— Τῶν βαράθρων δὲ ἐν τοῖς εἰρημένοις πεποιημένων ὄρεσιν ἀπωτέρω πεντήκοντά που σταδίους ἐστὶν ἡ πόλις. Hinc autem colligi conficique potest emendandum esse, *siccare.* Videlicet ipsum barathrum, quod Hercules quondam caesis montis, uti poëta loquitur, medullis fodisse memoratur, siccat pingue solum palude emulsa. Nam ridiculi sunt, qui ipsum barathrum ab Hercule siccatum putant.

Carm. LXV, 277.

Sic tum vestibuli *linquentes regia* tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.

Quis unquam dixit *tecta vestibuli?* Lege *vestibulo*, ut v. 293.

Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum *ut molli velatum fronde vireret.*

nisi quis malit *vestibulis*, ut apud *Juven.* VII, 124.

Aemilio dabitur, quantum libet, & melius nos
Egimus; hujus enim stat currus aëneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, *atque ipse feroci*

 Bellatore

Bellatore ſedens curvatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur praelia lusca.

& *Statium* Theb. I, 385.

tandemque recluſis
Infertur portis. actutum regia cernit
Veſtibula. hic artus imbri, ventoque rigentes
Projicit, ignotaeque acclinis poſtibus aulae
Invitat teneros ad dura cubilia ſomnos.

Carm. LXVII, 31.

Quis te mutavit tantus *Deus?*

Quivis corrigat, *tantum. Virgilius* Aen. II, 274.

quantum mutatus *ab illo*
Hectore!

quem *Valerius Flaccus* imitatur IV, 398.

Qualis, & a prima quantum mutata *juvenca!*

Ipſe *Catullus* XXII, 11.

tantum *abhorret*, *ac* mutat.

Sed omittamus de minutis dicere, & majus mendum tollamus ex elegante & jocoſo carmine, quod *Catullo Victorius* Var. Lect. XII, 3. tribuit, & eum ſecuti *Muretus*, & *If. Vosſius* p. 344. Vulgo legitur v. 5.

Hujus nam domini colunt me, Deumque ſalutant
Pauperis tugurî pater filiusque coloni:
Alter asſidua colens diligentia, ut herba
Dumoſa, aſperaque a meo ſit remota ſacello:
Alter parva ferens manu ſemper *munera larga.*

cum Priapi verba poſtrema corrigenda ſint hoc modo:

Alter parva ferens manu ſaepe *munera larga.*

Sic enim ſemper in talibus loquuntur ſcriptores, ut *Propertius* IV, IV, 23. *Ovidius* Faſt. IV, 726. *Lucanus* VI, 709. *Martialis* X, XCII, 7. *Calpurnius* Ecl. II, 62. *Virgilius* Ciris v. 94. & 523.

nam

nam ſaepe *tepenti*
Sanguine taurorum ſupplex reſperſerat aras:
Saepe *Deûm* largo *decorarat* munere *ſedes.*

Ecl. I, 8. & Aen. x, 619.

& tua larga
Saepe manu, *multisque oneravit limina* donis.

Ubi eadem verba in eadem re poſita plane correctionem probant. Accedat tamen auctor carminis ad Priapum, quod a quibusdam *Tibullo* tribuitur, v. 9.

At, *o Triphalle*, ſaepe *floribus novis*
Tuas ſine arte deligavimus comas.

Praeterea conſtat ex uno & quinquaginta verſibus hujus generis in hac ſede trochaeum, non autem ſpondeum *Catullo* placuiſſe, qui tantum reperitur v. 2. hujus carminis,

Quercus arida ruſtica conformata *ſecuri.*

invito tamen *Iſ. Voſſio*, qui p. 346. corrigit *fomitata;* & Carm. XVII, 19, & 20.

In foſſa Liguri jacet ſuppernata *ſecuri*,
Tantundem omnia ſentiens, quam ſi *nulla ſit usquam.*

quemadmodum *Politianus* legit pro *ſeparata.* Trochaeus itidem occurrit in verſibus *Maecenatis*, hoc modo conſtitutis a *Scaligero* ep. XXXIII. ad *Pithoeum:*

Debilem facito manu; debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum: lubricos quate dentes:
Vita, dum ſupereſt, bene eſt: hanc mihi vel acuta
Subdas, ſuſtineo, cruce * *

At enim *Marius Victorinus* p. 2599. ed. *Putſ.* nonnunquam; *Terentianus Maurus* p. 2444. ſaepe, non ferme ſemper, in ea ſede trochaeum agnoſcit ipſe ſpondeum ſolitus adhibere; *Diomedes* autem p. 512. Priapeii carminis exemplum ponit hoc:

Incidi patulum in ſpecum procumbente *Priapo.*

Illud vero *Servius* p. 1825.

Helleſpontiacos tuum numen *protegit hortos.*

Fateor. Sed ego *Catullo*, quam Grammaticis fidem habere malo. Denique ſupina librariorum negligentia crebro *ſaepe* in *ſemper* abiisſe discimus ex variis lectionibus indicatis ad *Lucret.* IV, 986. & *Salluſt.* B. Catil. XX, 14. Codex etiam *Vosſianus Propert.* I, III, 44. pro,

Externo longas ſaepe in *amore moras*,

offert *ſemper*, ut *Baſileënſis* in *Juvenale* VI, 602. Item apud *Ciceronem* Tuscul. Quaeſt. IV, 12. pro *dicimus quosdam torminoſos*, *non quia jam ſint*; *ſed quia* ſaepe; & *Pacatum* Paneg. c. 40. pro *ſaepe jejuna* vulgabatur *ſemper*, antequam *Gebhardus*, & *Livinejus* e melioribus libris correxerant. Eandem maculam nuper e *Caeſaris* libris de Bello Civ. III, 96. delevit *Marklandus* in Explicat. Veter. aliquot Scriptorum p. 278. præclare reſtituens: *At hi miſerrimo ac patientisſimo exercitui Caeſaris luxuriem objiciebant*, *cui* ſaepe *omnia ad necesſarium uſum defuisſent.* Contrarium mendum vir doctisſimus in Obſerv. Miscell. Vol. IV. p. 39. ſuſtulit e *Lactantio* de Mortibus Perſec. c. V. auctoritate MS. codicis corrigens: *Adverſarios Dei* ſemper *dignam ſcelere ſuo recipere mercedem. Groninganus* etiam liber *Propertii* III, XV, 11. pro,

Semper *enim vacuos nox ſobria torquet amantes*,

habet *ſaepe*.

Emendationi certisſimae duas conjecturas ſubjicere liceat. Carm. X, 33. vulgo legitur:

Sed tu, inſulſa, *male*, *& moleſta vivis*,
Per quam non licet esſe negligentem.

Sed inſulſe puella dicitur *inſulſa*, quam totum carmen oſtendit ſalſisſimam fuisſe, atque adeo poëta v. 4. vocat *ſcortillum*

Non ſane illepidum nec invenuſtum.

Quapropter *Iſ. Vosſius*, *inviſa*, id eſt, odioſa, inportuna, corrigebat. Hoc quidem jure Cl. *Burmanno* displicuit Obſerv. Miscell. Vol. V. p. XI. ubi totum carmen illuſtravit, ſed difficultatem non tollit ipſi probata lectio:

Sed tu, inſulſa, mala, *& moleſta* vive.

nec explicationes interpretum ſatisfaciunt. Mihi requiri videtur:

Sed

Sed tu, falfa male, *& molefta vivis*,
Per quam non licet esfe negligentem:

id eft, perverfe, & cum moleftia mea jocofa es, plane, ut apud *Horatium* Satyr. I, IX, 65.

male falfus
Ridens disfimulare: meum jecur urere bilis.

Conf. *Bentl.* ad Carm. III, XIV, 11. Similiter autem *Flaccus male* poft adjectivum collocat Sat. I, IV, 64.

Sulcius acer
Ambulat, *& Caprius*, rauci male, *cumque libellis.*

& II, V, 45.

Si cui praeterea validus male *filius.*

Nec aliter *A. Cuningamius* edidit II, III, 137.

Quin, *ex quo eft habitus* tutae male *mentis Oreftes.*

In Carmine Nuptiali LXIII, 31. pervulgati libri exhibent:

Hesperus e nobis, *aequales*, *abftulit unam.*
Namque tuo adventu vigilat cuftodia femper,
Nocte latent fures, *quos idem faepe revertens*,
Hespere, *mutato comprendis nomine* eosdem.

codex autem *Thuaneus* offert *eospem.* Hinc *If. Vosfii* conjectura nata eft, *eopfe:* fed ea nulla dote fe commendat. Equidem fufpicabar aliquando in, *eos*, latere *Eöus*, & *Catullum* dedisfe,

quos idem faepe revertens,
Hefpere, *mutato conprendis nomine* Eöus.

Elegantes enim & docti fcriptores in talibus utrumque nomen *Hefperi*, & *Eöi*, five *Luciferi* ponere folent. *Virgilius* Ciris v. 350.

Quem pavidae alternis fugitant, *optantque puellae*;
Hesperium *fugitant*, *optant ardefcere* Eöum.

quemadmodum *Bentlejus* emendat ad *Callimachi* Fragm. LII, ex poëtae verfibus:

Αὐτὸν μὲν φιλέεσ', αὐτὸν δέ τε πεφρίκασιν,
Ἑσπέρεον φιλέεσιν, ἀτὰρ ςυγέεσιν Ἑῷον.

Cinna

Cinna in Zmyrna apud *Servium* ad *Virgil.* Georg. I, 288.

> *Te matutinus flentem conspexit* Eöus,
> *Et flentem paulo vidit post* Hesperus idem.

Similiter *Manilius* I, 177. *Columella* x, 290. *Seneca* Hipp. 177. *Boëthius* I. M. v. & *Statius* Theb. VI, 238.

> *Roscida jam novies coelo demiserat astra*
> Lucifer, *& totidem Lunae praevenerat ignes*
> Mutato Nocturnus *equo.*

v. *Ludovicus Cerda* ad *Virgil.* Ecl. VIII, 30. *Vossius* Theol. G. II, XXXI. & *Vulpius* ad h. l. qui pleraque loca pridem attulerunt, ut ostenderent Hesperum eundem esse ac Luciferum. Quam facile *Eöus* in *Eos* abire potuerit, atque ita, cum syllaba deesset, adjici *dem*, monere non necesse est. Hanc autem conjecturam addidi, quod eam *Burmanno*, Poëticarum elegantiarum in paucis perito, valde placere viderem.



CAPVT II.

Virgilius, auctor Culicis, aliquot locis restitutus. Othus & Ephialtes non conati sunt mundum incendere. Rescindere coelum. Capellae subter dumos, non autem super iis cubant. Subter saepius in super abiit. Tellus multo, non autem magno sanguine manare dicitur. Magnus sanguis. Magnus, & multus permutantur. Vis Argea. Pinus Argoae navi decus addita. Telamon habuit in matrimonio Periboeam Alcathoi, Megarae Regis, filiam, qua natus est Ajax; Teucer autem nothus Hesione captiva procreatus est. Zanclaea Charybdis. Hectoris ira. Propter. Metare loca. Laestrygones atri nequeunt vocari. Scriptores jam geminant, non autem frequentant jam, jam, jamque.

Culicem *Maronis* antiqui scriptores non pauci memorant: sed de ejus, qui nunc exstat, auctore dubitatur. *Carolus* enim *Ruaeus* in Hist. *Virg.* ad A. V. C. 696. & *Franciscus Oudinus* in Adversariis Criticis, & singulari Disceptatione de *Virgiliano* Culice, quam *Dorvilius* in Obs. Misc. Nov. T. IV. p. 307. edidit, indignum

num esse censent, qui poëtarum maximo tribuatur. Et ille quidem ab inepto aliquo posteriorum aetatum scriptore fictum esse; hic autem a sarcinatore Gotho vel Vandalo, forte *Thrasamundi* temporibus, in Africa confectum esse pronunciat. E contrario *Jos. Scaliger* in Comment. ac Castigat. in Culic. p. 4. eumque secuti *Frid. Morellus* ad *Stat.* Sylv. II, VII, 73. & *Frid. Taubmannus* non pueri, & tironis, sed *Maronis* ἁδρȣ̃ καὶ τελείȣ opus esse judicant. Equidem vehementer miror id ex ore *Scaligeri* excidisse. Redarguitur enim Grammaticorum testimoniis, quorum consensus multum valet, atque adeo *Martialis* VIII, LVI, 19.

Protinus Italiam concepit, & Arma, virumque,
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.

Conf. *Barth.* ad *Stat.* l. c. Quid? quod, auctoritatibus omissis, ipsum carmen, quod doctrinam redolet, exercitationemque puerilem, facile *Scaligerum* refellit. Nec tamen *Ruaei*, & *Oudini* sententiam probare possum. Codices enim non modo Culicem, quem nunc in manibus habemus, *Maroni* tribuunt; sed etiam, quod majus est, & commentum *Ruaei* convincit, *Nonius*, ex eo p. 211. proferens v. 52.

Densaque virgultis avide labrusca petuntur.

ut omittam nunc auctorem vitae, & *Phocam* Grammaticum, qui duos ultimos memorant. Deinde multa reperiuntur in hoc carmine, quae *Virgilius* in aliis ornatiora reposuit. Denique nihil ostendi potest, quod ei tribui nequeat, ne quidem locus ab *Oudino* p. 312. sic reprehensus: „ Hic pastor domum reducitur, ut lecto compositus videat in somnis effigiem obtriti Culicis, & audiat de Charonte, de Furiis, ac Cerbero, de Orpheo & Eurydice, de Argonautis, Trojano bello, Ulyssis reditu, Graeca omni Romanaque Historia, non puerilem, sed pecuariam declamationem. " Satis enim constat bonos poëtas interdum longius evagari. Quid? quod, *Heynio* judice, auctor Panegyrici in *Messalam* juvenili more digressionem taedii plenam, & a re penitus alienam, de *Ulyssis* erroribus instituit. Quid? quod hic ipse locus, quem vitio carere nemo facile dixerit, reprehensorem redarguit. Etenim, si *Virgilio* tribui nequit, Vandalus, aut Gothus auctor putandus est. At negamus in Africa, regnante Thrasamundo, fuisse,

se, qui versus facere possent vel his decem, ex longissimo loco sumtis, similes:

Hic regit aversos proles Laërtia currus,
Et jam Strymonii Rhesi, victorque Dolonis,
Pallade jam laetatur ovans, rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jamque horret atrox Laestrygonas ipse.
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Aetnaeusque Cyclops, illum Zanclaea Charybdis,
Pallentesque lacus, & squallida Tartara terrent.
Hic & Tantalei generis decus amplus Atrides
Assidet, Argivûm lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.

Oudinus quidem *in monstrosis elegantiae Gothicae speciminibus*, in *Salmasii* codice visis, *Maronem* se dicit agnoscere, ut in Culice; sed carmina, quae *Burmannus* in Anthologia Latina nuper inde edidit, & Culex plurimum inter se differunt. At multa (sic enim dicunt) in carmine deprehenduntur obscura, horrida, atque adeo barbara, verbi gratia, v. 164.

Obvia *vibranti carpens gravis* aëra *lingua.*

quod vitium carpere, & vehementer reprehendere gestit *Oudinus.* Quasi vero non iniquissime faciant, qui perspicua librariorum menda scriptoribus tribuant! Etenim Critici magni & nobiles, in his *P. Bembus* in libro de *Virgilii* Culice, *Scaliger* p. 4. & *Heinsius* Syll. Ep. *Burm.* Tom. v. p. 400. consentiunt nihil hoc carmine mendosius posse reperiri. In correctoribus autem, qui saepe carmini nocuerunt, ipse *Scaliger*, si vera fateri volumus, est habendus. Quippe multa, quae corrigere vult, depravat, & ea scriptori nonnunquam affingit, quae ne Latino quidem poëta, nedum *Marone* digna videantur. Sed haec, meritorum memores, non insequemur, in primis quod errata palmaribus correctionibus, & observationibus minime vulgaribus abunde conpensavit; quin potius id agemus, ut & ipsi, sublatis quibusdam mendis, pro nostra parte poëtarum principi succurramus.

Initium faciemus a v. 233.

Nam vinctus sedet immanis serpentibus Othos,

Devictum

Devictum moestus procul adspiciens Ephialten:
Conati quondam cum sint incendere *mundum.*

Sic in pervulgatis libris habetur: sed nemo repertus est, qui traderet Aloïdas voluisse mundum incendere. Quapropter ante multos annos corrigebam:

Conati quondam cum sint rescindere *mundum.*

Ipse *Virgilius* de geminis fratribus Georg. I, 280.

Et conjuratos coelum rescindere *fratres.*
Ter sunt conati *&c.*

& Aeneid. VI, 582.

Hic & Aloïdas geminos immania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere coelum
Adgressi, superisque Jovem detrudere regnis.

Similiter autem *in*, & *re* saepe librariorum incuria permutantur. v. varias lectiones additas *Ovidio* Metam. VII, 78, 278. IX, 208. & *Virgilio* Georg. IV, 552. & 241. Nunc video *Vossianum* primae notae codicem, quem Leidensis bibliotheca servat, habere:

Conati cum sint quondam rescindere *mundum.*

unde discimus correctores, cum *rescindere* abiisset in *incendere*, voces insuper trajecisse, ne versus turpiter hiaret. *Pithoeus* edidit *inscendere*, quod in duobus codicibus MSS. invenitur. Hinc autem *N. Heinsii* conjectura nata est, *escendere:* sed ea nostram non muto.

V. 152.

At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis: *quos leniter adflans*
Aura susurrantis possit confundere venti.

Medius versus multum difficultatis habet. Quis enim credat fessas capellas *super dumos* cubare? Deinde, quî parvae capellae *super excelsis dumis* cubare possunt? Praeterea scriptores rustici præcipiunt, ut pastores aestus meridianos, de quibus agit poëta, sub ramis arborum vitent. v. *I. L. de la Cerda* ad *Virg.* Georg. III, 331. Postremo, *que* superfluum videtur. Quis itaque non sentiat, in iis verbis maculam manere? Sensit certe *Barthius*, qui & eam delere conatus est. Sic enim vir doctissimus Adverf. XXI, XXIII. „ Nihil editi libri variant aut scripti. Et tamen cuivis patere po-

„ teſt rem integram minime esſe. Durum enim, ne dicam abſur-
„ dum, ſuper dumos cubare capellas. —— Legendum arbitror;
„ *Excelſique ſuper dumi*, quos leniter adflans &c. circa capellae, ſu-
„ per vel ſupra, Excelſi dumi. Bardi exſcriptores, qui capellas in
„ excelſos usque dumos cubatum duxerint, quaſi *circa* tale quid
„ ſignificare posſet; At paſtor ipſe in lucum tectum ante ductus
„ erat. Equidem vix dubito, quin corrigendum ſit: *Excelſos ſubter dumos*, ut v. 109. *ſubter muscum.* Appoſite ad probandum *Horatius* Carm. III, XXIX, 21.

Jam paſtor umbras cum grege languido,
Rivumque fesſus quaerit, *& horridi*
Dumeta *Sylvani: caretque*
Ripa vagis taciturna ventis.

Saepe autem librarios *ſubter* in *ſuper* mutasſe conſtat ex variis lectionibus, quas exhibet *Havercampus* ad *Lucret.* V, 537. & VI, 857. & 614. ubi unus *Voſſii* codex offert *ſuper*, alter autem *ſupter;* quae ſcriptura plerumque vitii cauſa fuit. Conf. *Lamb.* ad V, 762. Eadem macula, poſt amplisſimi *Bouhierii* curas, inhaeret omnibus libris Pervigilii Veneris v. 81.

Ecce jam ſuper geneſtas *explicant tauri latus;*

cum *ſubter geneſtas* emendandum esſe res ipſa doceat, & ſimillimus *Calpurnii* locus Ecl. 1, 3.

Cernis ut, ecce, pater, quas tradidit, Ornite, vaccae
Molle ſub *hirſuta* latus explicuere geneſta.

Sed hujus correctionis, ante plurimos annos feliciter a nobis inventae, laudem libentisſime tribuimus *Broekhuſio*, praeſtantis ingenii viro, qui firmis argumentis eam probavit ad *Tibullum* II, 1, 62. Addi tamen velim, quae magnus *Boerhavius* animadvertit, amicus autem *Burmannus* memoriae prodidit ad *Grat.* Cyneg. v, 130. Caeterum *Scaliger*, quod mihi fere exciderat, ad v. 97. p. 13. plurimos verſus hujus carminis trajicit, & eum, quem correximus, ad paſtorem refert, ſic locum conſtituens:

Compacta ſolidum modulatur arundine carmen,
Quem circa fesſae pasſim cubuere capellae.
——————————————————
Seu libet ad fontem denſa requiescere in umbra

Excelſis

Excelſis ſupra dumis; quos leniter afflans
Aura ſuſurrantis posſit confundere venti.
Anxius inſidiis nullis, & lentus in herbis
Concipit hic mitem projectus membra ſoporem.

Nec aliter edidit *Taubmannus*, qui ſic exponit: „ Dumeto aut „ ſenticeto ſupra fontem celſius eminente. Judicent ſagaciores. Equidem fesſas capellas ſub excelſis dumis collocare malim.

v, 303.

O quis non referat talis divortia belli,
Quae Trojae videre viri, videreque Graji?
Teucria cum magno manaret ſanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor.

Emendandum videtur:

Teucria cum multo manaret ſanguine *tellus.*

Sic enim loqui ſolent ejus ſeculi ſcriptores. *Ovidius* Metam. 1, 157.

Perfuſam multo *natorum* ſanguine terram
Immaduisſe *ferunt.*

v, 155.

Pollutos*que ſemel* multo *Bellona* penates
Sanguine perfundit.

Virgilius Aen. vi, 87.

Et Thybrin multo ſpumantem ſanguine *cerno.*

Multus autem *ſanguis* millies occurrit. Apud *Statium* quidem reperias Achill. 11, 412.

Si ſparſus magno *remearem* ſanguine.

Sed agitur de ſanguine ferae majoris, & nobilioris, ut vel antecedentia doceant:

Nunquam ille inbelles Osſaea per avia lynces
Sectari, aut timidos pasſus me cuſpide damas
Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus urſas,
Fulmineosque ſues, & ſicubi maxima tigris,
Aut ſeducta jugis fetae ſpelunca leaenae.
Ipſe ſedens vaſto facta exſpectabat ab antro,
Si ſparſus magno *remearem* ſanguine.

 Conſ.

Conf. vetus *Barthii* Scholiastes. Eodem modo vocabulum sumitur VIII, 594.

innumeris veluti leo forte potitus
Caedibus, inbelles vitulos, mollesque juvencas
Transmittit, magno *furor est in* sanguine *mergi*,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.

& v. 573.

sic Hyrcana leo Caspius umbra
Nudus adhuc, nulloque jubae flaventis honore
Terribilis, magni*que etiamnum* sanguinis *insons*,
Haud procul a stabulis captat custode remoto
Segne pecus teneraque famem consumit in agna.

Dorvilius quidem in Animad. ad *Charit.* p. 375. interpretatur, multae, magnae caedis; verum conparationis vis, & ipsa verba redarguunt interpretationem. Rectius multo vetus *Barthii* Scholiastes: caedis majorum animantium; & *Lactantius:* Tauri, aut hominis. Nec aliter usurpavit *Gratius* Cyneg. v. 164.

Tunc & mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravis succedere tigrin
Ausa canis, majore *tulit de* sanguine *fetum.*

ubi *Titius:* praestantiori, nobiliori genere. Similiter *major sanguis* est nobilior, generosior, apud *Statium* Theb. v, 25.

Dic, quis & ille pater? neque enim tibi numina longe,
Transierit fortuna licet, major*que per ora*
Sanguis, *& adflicto spirat reverentia vultu.*

Nec tamen negamus quenquam esse, qui *magno sanguine* dixerit. Etenim sic locutus est *Sidonius* apud *Dorvilium*, & melior auctor *Justinus* XXII, VII, 6. *iterato Carthaginienses, omnibus viribus bellum cientes*, magno *utriusque exercitus* sanguine, *gravi praelio superat.* quae de more ab eo descripsit *Orosius* IV, 6. *Parvus* etiam *sanguis* occurrit apud *Lucanum*, & *Propertium* III, XIX, 19.

Sanguine *tam* parvo *quis enim* spargatur *amantis.*

v. *Burm.* ad *Lucan.* II, 128. & *Wopkens.* in Obs. Misc. Nov. T. X. p. 208. Verumtamen haec nondum mihi persuadent optimos poëtas dixisse, *tellurem*, & *fluvios magno sanguine manare.* Quid? quod a me facit perpetua permutatio vocum, *magnus* & *multus;* de

qua

qua vid. *Markland.* ad *Stat.* Sylv. III, III, 68. & *Burm.* ad *Valer. Flacc.* V, 274, & *Virg.* Aen. I, 245.

v. 341. de Graecis, capta Troja, domum redeuntibus:

ibat in altum
Vis Argoa petens patriam *ditataque praeda*
Arcis Erichthoniae.

„ Audiamus hic *Scaligerum:* Miror hoc hominum genus, qui om-
„ nia mutare ſolent, adeo coecos fuisſe, ut disſpicere non po-
„ tuerint, quid interſit inter Ἀργῶα, & Ἀργεῖα. Nam *Argoa* ab
„ *Argo* navi: illud ab Argivis. Quare legendum esſet, *Argiva.*
„ Sed veteres editiones admonent aliam fore lectionem, ſi earum
„ corrupta veſtigia ſequamur. Habent enim:

Vis repetens Argo patriam ——

ut malim ſane:

Vis repetens Argos patrium ——

„ Vis, copia, ut infra. *Taubmannus* autem non ſpernit lectionem,
„ *Vis repetens Argo patriam*, ſi *Argo* pro qualibet nobiliore navi
„ aut etiam clasſe, uſitata poëtis figura, ſumatur. *Nicolaus Heinſius* vero notaverat in libro quodam legendum: *Vix Argo repetens.* Sed unius literae mutatione facta corrigendum puto:

Vis Argea *petens patriam.*

quomodo locuti ſunt *Horatius*, *Ovidius*, *Martialis*, & *Guntherus.* v. *N. Heinſius* ad *Ovid.* Amor. III, VI, 49. qui & libro ſuo, quod nuper ex amicisſimi *Burmanni* literis intelleximus, adſcripſerat: Lege, *Vis Argea*, vel *Argiva.* Saepisſime autem librarii confuderunt *Argeus*, *Argous*, & *Argivus;* ut *Manil.* I, 692.

Argivamque *ratem per apluſtria ſumma.*

cum ſcribere debuisſent, *Argoam.* Nec aliter correxit *J. F. Gronovius*, vir magnus in primis, Obſerv. II, x. p. 290. quod, ut alia non pauca, *Bentlejum* fugit.

v. 135.

Hic magnum Argoae navi decus edita *pinus*
Proceras decorat ſylvas.

Scriptum videtur:

Magnum *Argoae navi* decus addita *pinus.*

Corippus

Corippus III, 79.

Temporibus, Justine, tuis, spes urbis & orbis,
Romani jubar inperii, decus addite *cunctis*
Retro principibus.

uti recte correxit *Barthius* Adverf. LV, 11. p. 2581. *Statius* Theb. I, 22.

Tuque o Latiae decus addite *famae.*

Virgilius Aen. VIII, 301.

Salve, vera Jovis proles, decus addite *Divis.*

ubi v. *J. L. de la Cerda.* Verba autem permutari docet *Burmannus* ad *Phaedr.* I, XIV, 13. Eandem vero medicinam fecit *N. Heinsius*, Criticus nobilisfimus atque optimus. Praeterea *Livinejus* ita verfum profert ad *Catull.* LXV, 1. Denique conjecturam firmat & probat *Vosfii* liber, in quo reperitur, *adita.*

Sed taedet in parvis morari, cum tot magna menda carmen contineat, ut v. 295.

hic & uterque
Aeacides. Peleus namque & Telamonia virtus
Per fecura patris laetantur numina, quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit ferva: aft *illum Nereis amavit.*

ita quidem *Scaliger* edidit, verumtamen *feritas* approbavit, quod in margine, & libro *Vosfii* reperitur. Audiamus argumenta: „ Quia fuit ἄγριός τις, propterea ipfi favit Virtus, ficut contra Ve- „ nus Peleo, qui ἀπεράγμων fuit, ut uxorem Thetidem meruerit. „ Quare inprudenter nimis fecit ille, qui nuper edidit: Hunc ra- „ puit *ferva.* & quaenam fuit illa ferva? Non Hefionen putat, fi „ fapit. At Ajacem filium rapuit Tecmesfa ancilla. Sed quam „ *Homerus* ἠνορέην vocat, *feritatem Virgilius* vertit, ut & paulo poft: „ *torva* feritate *repulfos.* Ego, quatenus de correctione, *Hunc rapuit ferva*, judicat, ei prorfus asfentior: de veteri lectione, *Hunc rapuit feritas*, in alia omnia tranfeo. Quippe cum verbis,

quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem,

non de Pelei magis nuptiis, quam Telamonis prædicetur, uxor autem

autem Pelei verſu proximo memoretur, (*illum Nereis amavit*), non de feritate Telamonis, ſed conjuge mentio facienda eſt. Quis igitur dubitet, quin turpe mendum feliciter hoc modo corrigendum ſit,

Hunc rapuit Periboea, *illum Nereis amavit?*

Sic *rapere Ovidius* uſurpat Heroïd. IV, 65.

Theſides, *Theſeusque duas* rapuere ſorores.

Sic Alcathoi, Megarorum regis filiam, Telamoni nuptam, *Xenophon*, *Apollodorus*, *Pauſanias*, & *Plutarchus* appellant. v. *Leopardus* Emend. III, x. *Mezeriacus* ad *Ovid.* Heroïd. III, 4. *Burmannus* in Argon. Catal. v. *Telamon*, & Interpretes *Hygini* c. 97. *Sophocles* autem, *Pindarus*, *Diodorus* Siculus, *Hyginus*, *Lycophronis*, & *Homeri* Scholiaſtae vocant *Eriboeam.* Nulla igitur olim *Jo. Meurſio* cauſſa erat, cur in Theſeo c. 13. confidenter in *Hygini* Poët. Aſtron. II, 5. *Eriboeae* ſubſtitueret *Periboeam*, licet nunc *Vosſii* liber opinioni robur addat. Agi enim de Alcathoi filia perſpicuum eſt ex *Pauſania* p. 101. Haud dubie vero nomen hoc reddendum eſt *Athenaeo* XIII, 1. ubi refert ex *Iſtro* Theſea varias quidem puellas rapuisſe, νομίμως δ' αὐτὸν γῆμαι Μελίβοιαν τὴν Αἴαντος μητέρα. Neque hoc fugit *Auguſtinum van Staveren* de fabulari hiſtoria praeclare meritum. *Burmannus* tentabat, Ἐρίβοιαν; ſed altera mutatio minor & veriſimilior eſt, eamque probat geminus *Plutarchi* locus in *Theſeo* p. 13. ubi, commemoratis puellis a Theſeo raptis, ſimiliter ſubjicit: γῆμαι δὲ καὶ Περίβοιαν τὴν Αἴαντος μητέρα. Jam vero nuptias illas Telamoni perhonorificas fuisſe conſtat. *Xenophon* initio libri de Venatione: Πηλεὺς δ' ἐπιθυμίαν παρέσχε καὶ θεοῖς, δοῦναί τε Θέτιν αὐτῷ, καὶ τὸν γάμον παρὰ Χείρωνι ὑμνῆσαι. Τελαμὼν δὲ τοσοῦτος ἐγένετο, ὥστε ἐκ μὲν πόλεως τῆς μεγίστης, ἣν αὐτὸς ἐβούλετο, γῆμαι Περίβοιαν τὴν Ἀλκάθου. quae verba valde congruunt cum *Virgilianis* per nos reſtitutis:

quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem:
Hunc rapuit Periboea; *illum Nereis amavit.*

Ex hac autem conjuge Telamon ſuſcepit Ajacem; de quo poëta verſibus proxime ſubſequentibus agit:

Asſidet hic juvenis, ſociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcusſus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulſos.

Nihil itaque noſtra correctione commodius; nihil aptius excogitari poteſt. Eandem *Tiberius Hemſterhuſius*, vir incredibili in his rebus ſagacitate, feliciter adhibuerat, ut viſa p. 24. mihi in his diebus affirmavit. *Heinſius* itidem nomen ſeminae proprium latere ſenſerat. Conjecerat autem vir ſummus: *Hunc rapuit* Tecmesſa: *illum*; vel, Hic rapit Heſionen: *illum*. ſed priorem conjecturam refellit hiſtoria. Quippe

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmesſae.

Nec poſteriorem probare queo: primum, quod a veſtigiis antiquae ſcripturae longe recedit: deinde, quod nec hiſtoriae, nec *Virgilii* verbis congruit:

quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem.

Heſionen enim captivam Telamon in matrimonio non habuit. Hinc Teucer ea procreatus vocatur nothus. v. *Homerus* Iliad. Θ, 284. & *Sophocles* in Aj. Flag. v. 1033. in qua tragoedia multis inſuper verborum contumeliis laceratur juvenis, quippe qui ſervus, & captiva & barbara natus appelletur, v. 1251, 1259, 1278, & 1307.

Transeamus ad v. 330.

Illum Scylla rapax canibus ſuccincta Molosſis,
Aetnaeusque Cyclops: illum metuenda *Charybdis,*
Pallentesque lacus, & ſquallida Tartara terrent.

Pro, *metuenda*, *Vosſii* liber antea laudatus exhibet, *ranolea*. Hinc ſtatim ſuspicabamur, vel potius intelligebamus poëtam ſcripſisſe, *Zanclaea Charybdis. Ovidius* Faſt. IV, 499.

Effugit

Effugit & Syrtes, & te, Zanclaea Charybdi,
Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes.

Et Trist. V, 11, 73.

Hinc ego dum muter, vel me Zanclaea Charybdis
Devoret, aque suis ad Styga mittat aquis.

Mecum facit *Burmannus*, vir eruditissimus, in commentario *Dorvilii* Siculis addito p. 605. ubi correctionem laudat, vehementissimeque conprobat.

Hinc autem, ne nunc alia commemorem, colligitur, quanta licentia, vel potius audacia librarii, aut librariis saepe nocentiores correctores ipsa juvenilis carminis ornamenta turpaverint. Sed & hinc perspicitur excellens praestantia libri *Leidensis*, cujus ope plura scripturae menda tolli queunt, ut v. 303.

O quis non referat talis divortia belli,
Quae Trojae videre viri, videreque Graji!
Teucria cum multo manaret sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor, Sigeaque praeter
Litora, cum Troës *saevi* vos *Hectoris* ira
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignis inferre paratos.

Exhibet enim perspicue,

Troas *saevi* ducis *Hectoris ira:*

cui correctioni robur addunt duo codices, in quibus invenitur, *Troas saevi* dos. Ibidem conjectura ductus emendo:

Sigeaque propter
Litora.

Quod nec *Heinsium* fugit. Voces autem permutari vidimus Observ. 1, 4. p. 49.

Idem codex v. 172. pro,

Metabat sese *circum loca,*

 repraesentat:

repraesentat:

> *Metabat* late *circum loca:*

quod si mecum recipias, erudite lector, non necesse habebis exponere cum *Barthio*, metabat loca circum sese. Nam *metari sese circum loca* ferri nequit.

Denique v. 326. pro,

> *Hinc regit aversos proles Laërtia currus,*
> *Et jam Strymonii Rhesi, victorque Dolonis,*
> *Pallade jam laetatur ovans, rursusque tremiscit*
> *Jam Ciconas, jam* jamque *horret Laestrygonas* atros.

offert,

> jamque *horret* atrox *Laestrygonas* ipse:

de quo pauci dubitabunt, praesertim, quia *Petavianus*, & alter *Vossianus* pariter habent, *jamque horret atrox*. Certe nemo repertus est, qui Laestrygonas vocaret *atros*. In talibus autem scriptores *jam* geminant, non autem frequentant, *jam, jam jamque*. Noster h. l.

> *Et* jam *Strymonii Rhesi, victorque Dolonis,*
> *Pallade* jam *laetatur ovans.*

Et v. 47.

> Jam *sylvis dumisque vagae;* jam *vallibus abdunt*
> *Corpora:* jam*que omni celeres e parte vagantes*
> *Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.*

Et v. 253.

> *At discordantes Cadmeo semine fratres*
> Jam *truculenta ferunt, infestaque* lumina *corpus*
> *Alter in alterius:* jam*que* aversatur *uterque,*
> *Inpia germani manat quod sanguine dextra.*

ut e MSS. corrigit *Oudendorpius* ad *J. Obseq.* cap. CXVIII. Sed *lumina*

lumina jam *Scaliger* p. 25. ex membrana *Contii* reſtituerat; *averſatus* autem *Barthius* Adverſ. xxi, 20.

Poſtremo liber eximius eximiam probat *Scaligeri* correctionem v. 353.

> *Euboïcas & per cautes*, Aegea*que late*
> *Litora.*

Habet enim perſpicue, *egea.* Vulgo legitur: *Heraea.*



C A P V T III.

Ciris a multis valde laudatur; a paucis autem reprehenditur. Obſcuritatis cauſſae. Dona multum vigilata. Rationes afferuntur, cur Virgilio carmen adjudicandum ſit. Cecropius hortulus. Poëta primis annis Epicureum Syronem audivit. Mendum ex ejus carmine ſublatum Iidem verſus in Maronianis ſcriptis, qui in Ciri, reperiuntur. Conplures interpretum errores coarguuntur. Approbata Burmanni in Aeneïde correctio. Tellus in Delos mutatur. Reſpondetur argumentis Ruaei, qui carmen a Marone abjudicat. Opinio Scaligeri, ſupremum ejus opus esſe ſtatuentis, convellitur. Ejusdem errores notantur. Aetas Valerii Mesſalae. Ciris poſt Culicem videtur edita, priusquam conponerentur Eclogae. Juvenis. Juvenes anni. Petronii carmen emendatum. Refellitur Eglinus, qui Cirin Catullo tribuit. Catullus juvenis obiit. Refutatur Fontaninus, qui Gallum poëmatis ſcriptorem facit. Ejusdem varii errores indicati. Philoſophiae ſedes in colle data. Fontaninus ficta & commenticia carmina Gallo tribuit. Diluuntur argumentationes eorum, qui ſcriptorem Ciris Ovidio aetate poſteriorem faciunt. Aliquot mendoſisſimi carminis verſus correcti. Suspicere altius ad ſidera. Nictantia ſidera. Exterritus prodigiis, monſtris. Flores in foribus dependent. Minoi inhiare. Poëtae refugisſe videntur a quarto caſu Minoem. Carum caput. Quod ut o potius fallar! Venatus ferarum. Medicina, quam Marklandus Manilio fecit, probata. Viri, & ferae permutantur. Utinam ne! Alia, & ulla ratione confunduntur. Iſthaec. Fesſum corpus. Clasſis a litore reſoluta, non autem revoluta. Strophades in Sporadas mutatae.

Transeamus ad Cirin, de cujus praeſtantia ſummaque elegantia tantum non omnes uno ore conſentiunt. *Gasſendus* de Vita & Mor. Epicuri II, vi. Principium illud elegantis poë„ matis (Ciris). Anglus, literis doctrinaque praeſtans, Obſerv. „ Misc.

„ Misc. Vol. iv. p. 317. Elegantisſimum poëmation eſt, & „ pulcherrimis refertum locis. *N. Heinſius* apud *Fontan.* Hiſt. „ Lit. Aquil. p. 41. Exemplar Ceiris, quod poëmatium multo „ elegantius eſt. *Broekhuſius* ad *Tibull.* I, x, 57. Auctor Ciris, „ elegans ille & politus, quicunque tandem exſtiterit. & ad „ IV, vi, 1. Auctor Ciris, delicatisſimi poëmatii. & ad III, v, „ 22. Auctor Ciris, amabilis poëmatii: quanquam verſus laudati „ reperiuntur in Culice. *Barthius* in Praef. p. 26. tentare Ceirin „ *P. Virgilii Maronis*, unum toto Latio formoſisſimum poëma- „ tion. & ad *Stat.* Sylv. IV, vii, 2. Poëma optimum. & ad Theb. „ i, 333. Capillum Niſi & Scyllam conſecravit illo longe cul- „ tisſimo poëmatio, qui Ceirin nobis, unicam linguae Latinae „ gemmam, nec *Marone* indignam dedit. & ad vi, 693. Sic „ enim in ornatisſimo poëmatiorum legendum. & ad v, 609. „ Similia ſunt Charmes carmina in divino poëmatio Ceiri. Conf. „ idem ad Theb. ii, 515. iv, 30. v, 617. *Scaliger* ad Cirin p. 65. „ tam culto & nitido poëmatio. & Animadv. in Chron. *Euſeb.* „ p. 54. *Virgilius* in divino poëmatio Ciri. Alia aliorum teſti- „ monia recitat *Juſtus Fontaninus* Hiſtoriae Literariae Aquilejen- „ ſis lib. I, ii, 8. ubi ipſe vocat opus, in quo omnes Gratiae „ & Veneres ornando certarunt, ut §. 5. aureum poëma; & „ §. 6. auro & cedro dignisſimum propter artificium, ſummam- „ que elegantiam. Illud denique poëma praeclare commendat, quod propter elegantiam *Catullo*, *Gallo*, *Virgilio*, clarisſimis poëtis, adjudicatum eſt.

Quis itaque eſt, qui *Bockarti* faſtidium ferre posſit in Hiſtor. Anim. S. S. Part. 1. lib. v. cap. 7. Virgilium adhuc in Ciri pueriliter balbutire cenſentis, atque adeo *Ruaei* in Hiſt. *P. Virgilii Maronis* ad A. V. C. 696. carmen ab intelligentibus probatum notantis hoc judicio: quanquam fuſum eſt feliciore vena, quam Culex; tamen jacent in eo multa, multa horrent, nitent quam paucisſima. Hoc certe *Broekhuſius* ferre non potuit ad *Tibull.* I, iv, 57. Auctor Ciris, quem ego ſatis credo non fuisſe *Virgi-* „ *lium*, nec tamen cum Ruaeo Jeſuita pro jacente atque horrido „ velim traduci, faſtidio nimis delicato.

Fuere tamen in ipſis laudatoribus elegantiae, qui pauca in carmine reprehenderent. Nam *Fontaninus*, ob trajectionem verborum

rum alicubi durius esse existimat; *Anglus* autem in Obs. Misc. variis in locis obscurum, ut ultimam poëtae manum desiderasse videatur. Equidem trajectiones verborum non agnosco: paucis in locis obscurum carmen esse concedo. Obscuritatis autem duae sunt caussae; una plurimorum versuum corruptio; altera bonorum librorum penuria. Nam conjectura viri doctissimi refellitur v. 45.

Accipe dona *meo* multum vigilata *labore.*

Sic enim poëtae loquuntur de carmine accurato. v. *Barthius* ad *Stat.* Theb. XII, 811.

O mihi bissenos multum vigilata *per annos*
Thebai.

Quis autem carmen, omnium fere consensione laudatum, composuerit, inter eruditos non convenit. Equidem vix dubito, quin *Virgilio* sit adjudicandum. Ei tribuere videtur *Servius* ad Ecl. VI, 3. & Aeneïdos initium: nam pro *Cirinam* legi debet *Cirin*, uti monuit *Heinsius*. Conf. *Dorvill.* Obs. Misc. Vol. IV. p. 317. Tribuunt & editi libri, in quibus inter carmina poëtae Cirin a tribus fere seculis receptam videmus; &, quod majus est, manu scripti, v. gr. Basileënsis, in quo legitur: *P. Virgilii Maro.* Ciris ad *Messalem.* Eodem ducunt quaedam carminis loca, quae maxime in illum conveniunt.

Ac primum quidem scriptor Ciris Epicureae Philosophiae se deditum fuisse refert:

Etsi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius *suaves exspirans* hortulus *auras*
Florentis viridi Sophiae complectitur umbra:

Interpretes enim, & *Passeratius* ad *Propert.* III, 21. p. 531. *Barthius* Advers. XX, 10. *Gassendus* de Vita & Mor. Epic. cap. VI. *Vossius* de Philos. sectis cap. VIII, 26. &, ne plures nunc commemorem, *Bruckerus* in Hist. Crit. Philos. T. II. p. 72. consentiunt *hortulum Cecropium* esse Epicuri; quod firmatur simillimo *Martialis* loco VII, LXIX, 3.

Hanc

Hanc ſibi jure petat magni ſenis Atticus hortus,
Nec minus esſe ſuam Stoica turba velit.

ubi *Scriverius* errorem *Calderini*, *Heraldi*, & *Gruteri*, qui putabant Academiam ſignificari, jam correxit. Similiter autem *Virgilius* Philoſophorum praeceptis inſtitutus eſt ab Epicureo Syrone. v. *Donatus* in vita, *Servius* ad Ecl. VI, 13. & Aen. VI, 264. & ipſe *Virgilius* Anthol. *Burm.* T. I. p. 428. Ejusdem Philoſophi meminit p. 677.

Villula, *quae* Syronis eras, *& pauper agelle*,
Verum illi domino tu *quoque divitiae*,
Me tibi, *& hos una mecum*, *quos ſemper amavi*,
Si quid de patria triſtius audiero,
Commendo, *in primisque patrem: tu nunc eris illi*,
Mantua quod fuerat, *quodque Cremona prius.*

In quibus verbis leve mendum manet hoc modo tollendum:

Verum illi domino tum *quoque divitiae.*

quod argumentatione non eget. Nam voculas permutari notisſimum eſt. v. *Drakenb.* ad *Liv.* X, XL, 11.

Deinde, ut ſcriptor Ciris, Epicuri peramoeno delectatus hortulo, ſe fere disjunxit a carminibus, ita tamen, ut *interdum ludere liberet*,

Et gracilem molli pede claudere verſum:

ſimillime *Virgilius*, Epicureae Philoſophiae flagrans amore, Muſis, quarum illecebris aliquamdiu delinitus fuerat, nuntium remiſit, ſic tamen, ut interdum aliquod commercium cum iis habere vellet, Anth. *Burm.* Tom. I. p. 428.

Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc Camenae:
Dulces Camenae: nam fatebimur verum,
Dulces fuiſtis: & tamen meas chartas
Reviſitote: ſed pudenter & raro.

Poſtremo

Poſtremo ſcriptor Ciris librum dicavit Mesſalae, quem colere & venerari ſolebat (18—40): eundem coluit & veneratus eſt *Virgilius*, ut oſtendit elegans carmen, quod ad hunc ipſum miſit, Anthol. *Burm.* II, cxxii. *Heynius* quidem, vir politus, & elegans, ad *Tibull.* p. 177. recentiorem putat esſe ſcriptorem propter v. 47.

Saepe audendo mare *vincere*, *ſaepe hiemem.*

Sed hunc ſcrupulum facile *Broekhuſius* exemit trajectis vocibus pulchre reſtituens:

Saepe mare audendo *vincere*, *ſaepe hiemem.*

Quid? quod iidem loquendi modi, & eorundem verborum creberrima & ſimillima repetitio, ſumma venuſtate conjuncta, eundem ſcriptorem prodere videntur.

In Ciri praeterea voces, & formulae dicendi *Lucretianae*, & imitatio *Catulli* manifeſta reperitur, adeo ut non defuerint, qui carmen huic adjudicarent: ab his autem poëtis multa *Virgilium* ſumſisſe veteres & novi interpretes oſtenderunt.

Denique, ne multis videamur argumentis onerare lectorem, tot verſus non ſolum dimidii, ſed etiam, quod majoris eſt ponderis, integri, iique continui in Eclogis, Georgicis, & Aeneïde creberrime repetiti, vel maxime dicta confirmant.

Cum vero *Scaliger*, aliique Ciris editores, quamvis hoc argumento uſi, & interpretes *Virgilii* paucos admodum notaverint, & idcirco forte quidam veritatis ignari de alio ſcriptore cogitaverint, atque adeo *Juſtus Fontaninus*, vir doctisſimus, qui magna cum cura atque diligentia nuper hanc materiam tractavit, hujus „poëmatii verſus, praeterquam ſemel in Bucolicis, legi negaverit Hiſtor. Liter. Aquilej. I, 11, 7. operae pretium esſe credidimus uno in conſpectu plerosque collectos ponere. Ciris itaque v. 3. habes:

Cecropius ſuavis exſpirans *hortulus auras*
Flor*entis viridi Sophiae* complectitur umbra.

Aeneïd. 1, 693.

Ubi mollis amaracus illum
Flor*ibus*, *&* *dulci* *ad*ſpirans complectitur umbra.

Ciris v. 51.

Caeruleis ſua tecta ſupervolitaverit alis.

Ecl. VI, 81.

Infelix ſua tecta ſupervolitaverit alis.

Ciris v. 52. de Scylla:

Hanc pro purpureo poenam *ſcelerata* capillo,
Proque patris ſolvens exciſa funditus urbe.

Georg. I, 405.

Et pro purpureo poenas *dat Scylla* capillo.

Ciris v. 58.

Illam eſſe, aerumnis quam ſaepe legamus Ulixi
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Deprenſos nautas canibus laceraſſe marinis.

Ecl. VI, 74.

Quid loquar, ut Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Ciris v. 125.

Concordes ſtabili *firmârant* numine Parcae.

Ecl. IV, 47.

Concordes ſtabili *fatorum* numine Parcae.

Ubi

Ubi *Tollius* corrigebat *nemine*, quod Ciris verſu jam *Burmannus* redarguit Anthol. p. 281. Ciris v. 160.

Aurea fulgenti depromens tela pharetra.

Aen. v, 501.

Pro ſe quisque viri, *&* depromunt tela pharetris.

Ciris v. 167.

Infelix virgo tota bacchatur *in* urbe.

Aen. IV, 301.

totam*que incenſa per* urbem
Bacchatur.

Ciris v. 170.

Non niveo retinens baccata monilia collo.

Aen. I, 654.

collo*que* monile
Baccatum.

Ciris v. 208.

Excubias foribus ſtudio jactabat inani.

Ecl. II, 5.

Montibus & ſylvis ſtudio jactabat inani.

Vereor tamen, ne librarius, aut corrector hinc, *jactabat*, in Cirin transtulerit. *Heinſio* quidem legendum videbatur, *ductabat*, ad *Ovid.* Faſt. III, 245. Ciris v. 233.

Quo rapidos etiam requiescunt flumina curſus.

Ecl. VIII, 4.

Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Nam ſcriptura quorundam librorum, *liquerunt*, & *Ludovicus de la Cerda*, qui verbum *mutata* cum *curſus* conjungit, auctoritate Ciris refelluntur. Ciris v. 241.

Ut nullo posſim cognoſcere ſigno.

Georg. I, 394.

certis poteris cognoscere ſignis.

Ciris v. 267.

extremum hoc munus morientis habeto.

Ecl. VIII, 60.

extremum hoc munus morientis habeto.

Ciris v. 280.

Aut ferro hoc (aperit *ferrum*, quod veſte latebat.)

Aen. VI, 406.

At ramum hunc (aperit *ramum*, qui veſte latebat.)

Ciris v. 299.

Gnosſia *neu* Partho *contendens* ſpicula cornu.

Ecl. X, 59.

libet Partho *torquere* Cydonia cornu
Spicula.

Ciris v. 302.

Praeceps aërii ſpecula de montis *abisſes.*

Ecl. VIII, 59.

Praeceps aërii ſpecula de montis *in undas*
Deferar.

Quo

Quo loco convellitur opinio *Jac. Nicol. Loënſis* Misc. Epiphyll. VIII, 26. legendum cenſentis, *Nec* ſpecula aëriis praeceps de *montibus esſes*. Ciris v. 307.

Nunquam ego te ſummo *volitantem* in vertice montis.

Aen. xi, 526.

Hunc ſuper in ſpeculis, ſummo*que* in vertice montis.

Ciris v. 349.

—— —— —— diem mortalibus almum.

Aen. v, 64.

—— —— —— diem mortalibus almum.

Ciris v. 369.

At nutrix patula conponens ſulfura teſta,
Narcisſum caſiamque herbas incendit olentis:
Ter*que novena ligat* triplici diverſa colore
Fila: ter *in gremium mecum*, *inquit*, *despue*, *virgo:*
Despue ter, *virgo:* numero deus inpare gaudet.

Ecl. viii, 73.

Terna *tibi haec primum* triplici diverſa colore
Licia circumdo, ter*que haec altaria circum*
Effigiem duco: numero deus inpare gaudet.

& II, 11.

*Allia ſerpyllum*que herbas contundit olentis.

Unde ſcriptor libri Baſileënſis in Cirin transtulit exhibens:

Narcisſum, *caſiamque* herbas contundit olentis.

Ciris v. 394.

Illa etiam, junctis magnum quae piscibus aequor
Et *glauco* bipedum curru metitur equorum.

Georg. IV, 388.

> *Caeruleus Proteus*, magnum qui piscibus aequor
> Et *juncto* bipedum curru metitur equorum.

Ciris v. 398.

> Cara *Jovis* soboles, magnum Jovis incrementum.

Ecl. IV, 49.

> Cara *Deûm* soboles, magnum Jovis incrementum.

Ciris v. 402.

> Ad coelum *infelix* ardentia lumina *tollens:*
> Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

Aen. II, 405.

> Ad coelum *tendens* ardentia lumina *frustra:*
> Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.

quo loco convincitur vir doctisſimus, qui in Ciri corrigit, *arentia.* Ciris v. 405.

> Dum queror, & divos, (quanquam nil testibus illis
> Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.

Ecl. VIII, 19.

> Dum queror, & divos, (quanquam nil testibus illis
> Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.

ubi miror in mentem venisse *Burmanno* purisſimam, & Ciris auctoritate confirmatam lectionem, *& divos*, mutare vitiosisſima lectione cujusdam codicis, *ad divos*, cum perspicuum sit in his,

> *Dum* queror ad divos (*quanquam nil testibus illis*
> *Profeci*) *extrema moriens tamen* adloquor *hora*,

deesse copulam, qua versus inter se jungi queant. Ciris v. 430.

Ut

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Ecl. VIII, 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Ciris v. 437.

Omnia vincit amor.

Ecl. x, 69.

Omnia vincit amor.

Ciris v. 473.

Linquitur ante alias longe gratisſima Delos
Nereïdum matri & Neptuno Aegaeo.

Aen. III, 73.

Sacra mari colitur medio gratisſima tellus
Nereïdum matri & Neptuno Aegaeo.

Hic autem *Burmannus*, & ad *Ovid.* Faſt. VI, 178. timide dicit, legendum forte, *Delos.* Paulo fidentius vir magnus locutus esſet, ſi meminisſet hunc locum totidem verbis ex Ciri translatum esſe. *Delos* itidem videtur legisſe vetus poëta, cujus carmen exhibetur Anthol. *Burm.* III, 7.

Delos, *jam ſtabili revincta terra*,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & inde vento
Ibat fluctibus inquieta ſummis:
Mox illam geminis Deus catenis
Hac alta Gyaro ligavit, illac
Conſtanti Mycono dedit tenendam.

Totum quidem carmen verſibus de *Virgilii* loco ſumtis contextum eſt. Eandem vero medicinam *Spanhemius* ad *Callim.* H. in Del. v. 255. *Senecae* fecit H. F. v. 15.

Quibusque

Quibusque natis mobilis Delos *ſletit.*

Vulgo legitur, *tellus.* Ut autem *Burmanni* conjectura Ciri confirmatur, ſic error *Roberti Titii* convincitur *Virgilium* ſic corrigentis:

Nereïdum matri, & *Neptuno* Ennoſigaeo.

Correctionem, ex Loc. Controv. xv, 16. petitam, memorat *Alexander Cuningamus* in brevibus Emendationibus *Virgilio* ſubjectis, qui conprobasſe videtur. ſed ad propoſitum revertamur. Ciris v. 518.

Incultum ſolis *in rupibus* exigit aevum.

Aen. xi, 569.

Paſtorum & ſolis exegit *montibus* aevum.

Ciris v. 538.

Quacunque illa levem fugiens ſecat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat aethera pennis.

Georg. 1, 404.

Quacunque illa levem fugiens ſecat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat aethera pennis.

Conf. praeterea Ciris v. 16. & Aen. vi, 378. Ciris v. 96. & Ecl. iii, 63. Ciris v. 120. & Georg. ii, 30. &c. Ciris v. 161. & Aen. xi, 841. Ciris v. 196. & Ecl. x, 58. & G. iv, 364. Ciris v. 222. & Aen. i, 499. Ciris v. 248. & Aen. ix, 595. xii, 811. Ciris v. 284. & Aen. x, 844. Ciris v. 288. & Aen. iv, 321. Ciris v. 358. & Aen. x, 146. Ciris v. 446. & Georg. iv, 348. Ciris v. 476. & Aen. iii, 125. Ciris v. 516. & Georg. iv, 431. Ciris v. 517. & Ecl. vi, 47.

„At,

„ At, inquit *Ruaeus*, in Ciri jacent multa, multa horrent, „ nitent quam paucissima: reperiuntur etiam, quae nec ab juve„ ne, nec a sene *Virgilio* scriptam esse doceant.

Extrema aetate carmen a *Virgilio* scriptum putabat editor *Jos. Scaliger*. Sic enim p. 44. „ Scripsit autem hoc poëma, cum „ Megaram se contulisset motus memoria rei, quam locus ipse ei „ excitabat. Nam & Grammaticus is, qui ejus vitam scripsit, „ id propemodum innuere videtur, quum scribit: *Quum Mega„ ram, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, languo„ rem nactus est.* Ac sane videtur id supremum Virgilii opus „ fuisse, cum ex illius verbis Grammatici, qui ait postea lan„ guorem nactum fuisse; tum ex ipso Virgilio canente:

„ *In quo jure meas utinam requiescere Musas*,
„ *Et leviter blandum liceat deponere amorem.*

„ —— Profectus erat Athenas, ut Philosophiam Epicuri perdi„ sceret. Quin etiam eo anno videtur Athenas ingressus, qui in „ Quinquatria Minervae incideret: ut inde videatur nactus occa„ sionem peplum Minervae describendi, qui Panathenaicis in „ pompa ferebatur.

Equidem moleste fero tantum ingenium tam levibus argumentis in tam levem sententiam incidisse. Nam quod illi *Virgilius* Athenas ingressus videtur anno, quo Panathenaea majora celebrarentur, atque hinc occasionem nactus peplum Minervae describendi, in eo temporibus errat. *Hieronymus* enim, interpres *Eusebii*, notavit in Chronico celebrata esse anno tertio Olympiadis exc. cum jam superiore *Virgilius* obiisset. v. *Fontaninus* in Hist. Liter. Aquil. p. 38. cui tamen non assentior, cum poëtam festis diebus in urbe fuisse negat propter v. 27.

Felix ille dies, felix & dicitur annus,
Felices, qui talem annum videre, diemque.

Poëta quidem *felices* non vocat,

qui talem annum videre, diemque;

sed felices *dici* tradit. Tantum autem abest, ut Grammaticus, cujus testimonio *Scaliger* abutitur, propemodum innuat *Virgi-*

lium Cirin ſcripſiſſe, cum Megara ſe contuliſſet, ut hoc eodem teſtimonio vir ſummus facillime redargui refellique poſſit: *Sed cum aggresſus iter Athenis occurrisſet Augusto, ab Oriente Romam revertenti, una cum Caeſare redire ſtatuit. Ac cum Megaram, vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt: quem non intermisſa navigatio auxit, ita ut, gravior in dies, tandem Brundiſium adventaret: ubi diebus paucis obiit.* Ex his enim perſpicuum eſt poëtam, qui in Auguſti comitatu redire ſtatuerat, cum Megara viſendi tantum gratia peteret, languorem nactum esſe, eoque ex navigatione aucto *Brundiſii* paucis poſt diebus deceſsiſſe. Quis autem credat vatem, qui operoſe ſcribebat, languentem in itinere amabile illud poëma condidisſe, cum praeſertim ipſe neget v. 45.

Accipe dona *meo* multum vigilata *labore?*

Quod vero ſupremum opus fuisſe colligit ex v. 10.

In quo jure meas utinam requiescere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

vitioſe colligit. Incredibile eſt enim, qui ſeceſſerit ad Aeneïda limandam, & moriens inperfectam conburi juſſerit, cum de levi poëmate dixisſe,

In quo jure meas utinam requiescere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

Multae porro rationes afferri posſunt, quibus opinio ſingularis refutetur. Primum enim *Virgilius*, cum Cirin edebat, a Muſis fere ſe disjunxerat unius philoſophiae ſtudioſus: at anno „ quinquageſimo ſecundo, ſicut *Donatus* tradit, ut ultimam ma-„ num Aeneïdi imponeret, ſtatuerat in Graeciam & Aſiam ſece-„ dere, trienmoque continuo omnem operam limationi dare, „ ut in reliqua vita tantum philoſophiae vacaret: quibus verbis itidem coargui poteſt error *Scaligeri*, qui *Virgilium* putat Athenas profectum esſe, ut Epicuri philoſophiam perdiſceret.

Deinde Cirin edens principia Philoſophiae ſolummodo cognoverat, ut totum prooemium oſtendit, maxime autem v. 41.

Sed

Sed quoniam ad tantas nunc primum *nascimur artes*,
Nunc primum *teneros firmamus robore nervos:*

at in Eclogis, Georgicis, & Aeneïde tanta philosophiae scientia elucet, ut a quibusdam summus doctor istius disciplinae vocetur. Non me fugit *Fontaninum* p. 38. *tantas artes* interpretari *metricas:* sed ipsa series orationis indicat eum graviter errare.

Praeterea quam probabile principem poëtarum Eclogis, & Georgicis in vulgus editis, & Aeneïde, quam de manibus nunquam deponebat, inperfecta, leve carmen lusisse! quam vero simile in ludendo sic Musas invocasse, (v. 97.)

nunc age, Divae,
Praecipue nostro nunc adspirate labori,
Atque novum aeterno praetexite honore volumen!

Denique suo, quemadmodum dicitur, gladio *Scaligeri* sententia confici potest. Scilicet M. Valerius Messala Corvinus, ex sententia *Scaligeri*, eo tempore, quo *Virgilius* illi Cirin dicavit, annum quinquagesimum agebat. *Hieronymus* enim, quem fere *Ayrmannus* in vita *Tibulli* §. 23. & *Heynius* sequuntur, in Chron. p. 151. & 157. ed. *Scal.* Messalam notat in vitam venisse anno Abrahami MDCCCCLVIII; inedia autem se confecisse aetatis LXXII, Abrahami MMXXIX. *Scaliger* vero, (Animadv. ad *Euseb.* Chron. p. 180.) cujus opinionem *J. Massonus* in *Ovidii* vita ad A. V. C. DCCLVII. firmavit & probavit, gravibus argumentis in hoc erratum ostendit, & antea virum magnum decessisse, natum putans anno Abrahami MDCCCCXLIX, mortuum MMXX. V. C. DCCLVII. Est autem perabsurdum summis honoribus perfunctum, & annum aetatis quinquagesimum agentem vocare *juvenum doctissimum* (35). *Varro* quidem tradit apud *Censorin.* de D. N. c. 14. *juvenes* usque ad XLV annum dictos esse: sed nemo repertus est, qui quinquagesimum annum agentes eo nomine vocaret. Liquet itaque Cirin a *Virgilio* sub finem vitae non esse conscriptam.

Sed quid pluribus haec disputo, cum *Virgilius* ipse seniorem se Cirin scripsisse neget v. 44.

Haec tamen interea quae possumus, in quibus aevi
Prima rudimenta, & primos exegimus annos,

Accipe dona *meo multum vigilata labore.*

v. *Fontaninus* p. 37.

Itaque libenter *Eglino*, *Ruaeo*, & *Fontanino*, viris eruditissimis, concedo Cirin supremum *Maronis* opus non fuisse, illud quod *Ruaeus* adjungit, nec a juvene confectam minime concedo. Vix enim dubito, quin, Culice jam scripto, carmen illud, primis annis exorsum, in Epicuri horto detexuerit, antequam conponeret Eclogas. Et primis quidem annis scriptum constat ex v. 45: recentius autem Culice esse declarat ipsum poëma, quod etiam vituperatores longe, multumque praestare confitentur. Ante vero prodiisse, quam conponerentur Eclogae, *Phocas* indicat in vita tradens poëtam primum lusisse Culicem, deinde Syronem Epicureum audivisse, post Eclogas scripsisse; quod confirmat *Servius* ad Ecl. VI, 13. *Vult exsequi sectam Epicuream, quam didicerant, tam Virgilius, quam Varus docente Syrone: &, quasi sub persona Sileni, Syronem inducit loquentem.*

. Ex disputatis itaque efficitur, fere tum conpositum esse, cum *Virgilius* Epicurei horti captus amoenitate caneret:

Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis.
Ite hinc Camenae:

quibus versibus, ne nunc alias rationes afferam, labefactatur & convellitur opinio *Ruaei* sic argumentantis: Nec Virgilium juve-
„ nem & Bucolica, Georgica, Aeneïda meditantem tantum rei
„ poëticae jam tum ceperat taedium, ut in hoc tam levi opere
„ desinere non dubitaret:

„ *In quo jure meas utinam requiescere Musas,*
„ *Et leviter blandum liceat deponere amorem.*

Nam quod clamat in Ciri jacere multa, multa horrere, tot praeclaris intelligentium testimoniis, poëtae tributis, refutatur.

Dicet aliquis: Messala juvenum doctissimus v. 37. vocatur: carmen igitur a *Virgilio* juvene non est conpositum. Damus quidem libenter *Heinsio*, sic in notis ineditis, nuper a *Burmanno* nobiscum communicatis, argumentanti, saepissime minores natu

juvenes

juvenes a fenioribus appellari; fed & Turnus, plerumque *juvenis* vocatus, Aen. IX, 51. hoc modo loquitur:

Ecquis erit mecum, Juvenes.

Ancaeus itidem in juvenibus, qui conflixere cum Calydonio apro, numeratus ab *Ovidio* Metam. VIII, 300, 315. focios v. 392. conpellat his verbis:

Discite, femineis quid tela virilia praeftent,
O juvenes, *operique meo concedite.*

Plura teftimonia ftudiofe conquirere non necesfe videtur. Quid? quod hic ipfe verfus, quo nititur *Heinfius*, oftendit carmen ab juvene confectum. Nam, fi vera eft *Scaligeri* & *Masfoni* fententia de tempore, quo Mesfala Corvinus in vitam venit, aequalem fere *Virgilio* fuisfe confitendum eft: *Virgilius* igitur, eum vocans *juvenum doctisfimum*, docet eodem tempore fe juvenem fuisfe. Quod fi ita eft, v. 45. admitti nequit MS. five potius ed. Ald. lectio, quam *Burmannus* V. C. ad *Seren. Sammon.* v. 52. probat,

juvenes *exegimus* annos.

Etenim, cum *juvenis* carmen fcriberet, nondum juvenes annos exegerat. Venufta quidem fcriptura firmatur auctoritate *Nafonis* Metam. VII, 295. & XIV, 139.

Excidit, optarem juvenes *quoque protinus* annos.

fed vulgatae favet *Virgilius* Aen. II, 87.; favet perelegans repetitio poëtae propria;

Prima *rudimenta &* primos *exegimus annos;*

favet MS. Bafileënfis, & libri pervulgati; favet ordo in ftudiis Romae fervari folitus. Primum enim fe dabant poëticae, deinde philofophiae. v. Interpretes ad *Petron.* c. 5.

det primos verfibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem:

Mox & Socratico plenus jam mittat *habenas*
Liber, *& ingentis quatiat Demosthenis arma:*

ut levi mutatione facta corrigendum videtur pro, *immittat. N. Heinsius* ad *Propert.* p. 726. legebat, *sibi* mittat. Alias aliorum conjecturas, minime probabiles, exhibet Anthol. *Burm.* p. 581.

Sed haec hactenus: nunc consideremus eorum rationes, qui Cirin ab aliis scriptoribus conpositam volunt. Alii enim *Catullo* tribuunt: alii *Gallo:* alii incerto poëtae.

Catullo tribuit *Eglinus* Tigurinus in Vindiciis *Catullianae* Ciris adversus *Scaligerum* editis. Primum ejus argumentum est, ,, *Scaligerum* verba, versus, lemmata subinde in Ciri agnosce- ,, re, quae in Argonauticis *Catulli* reperiantur, nec ovum ovo ,, tam simile esse atque haec duo inter se poëmatia; Cirin igitur ,, ab eodem scriptam esse. Equidem nullum *Catulli* versum in Ciri agnovi; sed dictionem, numeros, & manifestam poëtae Veronensis imitationem. His autem non efficitur *Cirin* ab eo scriptam esse, praesertim cum tanta eorundem versuum copia in ea & *Maronianis* carminibus habeatur.

Alterum vir eruditus argumentum ducit ex *Plinio* N. Hist. XXVIII, 4. *Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio.* ,, Quae e- ,, nim, rogat, ante *Maronem* incantamentorum amatoria imitatio ,, *Catulli*, nisi haec in Ciri? ,, At in illa tam pauca hujus generis occurrunt, ut *Catullum Plinius*, etiam si verus auctor habitus esset, ob ea *Theocrito*, & *Virgilio* non adjunxisset, qui late materiem tractarunt Eid. II. & Ecl. VIII. Verisimilius igitur est opus *Catulli* deperditum respici. *Barthius* autem peradolescentulus ad Cirin p. 28. *Eglini* argumentum dissolvere conabatur hoc modo: *Plinius* tradit *Catullum* incantamenta *Theocriti* imitatum esse: in Ciri autem talis imitatio non invenitur: non igitur est *Catulli*. Sed *Plinius* non refert *Catullum* & *Virgilium Theocriti* incantamenta imitatos esse. Praeterea caeteras *Eglini* rationes, quibus cum *Scaligero*, Cirin ultimum *Maronis* opus faciente, pugnat: neque enim iis nostra labefactatur sententia.

Quam

Quam multa vero posſunt afferri, quibus *Egliniana* convellatur opinio! Nam quis veterum Cirin *Catullo* tribuit? quis Mesſalae veneratorem ſecit? quis philoſophiae deditum fuisſe tradidit? Id quidem probare conatur verſibus ſupra memoratis:

Nos ad beatos vela mittimus portus
Magni petentes docta dicta Syronis:

Sed illos *Maronis* esſe non tantum docti conſentiunt, verum etiam Syronis mentio docet, cujus auditorem fuisſe poëtam multi teſtantur, cum de *Catullo* plane non conſtet.

Si quis autem forte miratur me non uti argumento, quo ſolo *Barthius* ad *Claudian.* in *Ruf.* 1, 253. p. 1160. controverſiam dirimi posſe cenſet, is, ſi rem cognoverit, mei conſilii causſas probabit. Argumentatur ille *Hieronymum* in Chronico notare, *Catullum* decesſisſe anno altero poſt natum Mesſalam, cui Ciris dicata eſt, quarto Olympiadis CLXXX: igitur huic Cirin adſcribi non posſe; nam ridiculum esſe carmen ad infantem in cunis vagientem ſcribere eumque *juvenum doctisſimum* vocare. Sed inepto riſu nihil eſt ineptius. *Hieronymus* enim temporibus erravit, cum Mesſalam eo anno mortuum esſe memoriae proderet, uti jam monuimus. Erravit itidem tradens *Catullum*, anno aetatis triceſimo, Olympiadis autem CLXXX quarto decesſisſe. Satis enim conſtat ex ipſis carminibus poëtam poſtea vixisſe. v. *Ob. Giſanius* in vita *Lucretii*; *Vulpius* ad *Catulli* Carm. LII. & CXI. & *Joſ. Scaliger* in Animadv. ad *Euſeb.* Chron. n. MDCCCCLX. p. 155. Nec tamen *Scaligeri* ſententiam probo cenſentis *Catullum* ludis ſecularibus A. V. C. 737. celebratis carmen XXXIV. ſcripſisſe, quum annum aetatis LXXI. ageret. *Iſ.* enim *Vosſius* accurate eam refutavit in Obſerv. ad *Catull.* p. 180. Refutare autem potuisſet uno, ſed gravisſimo, *Ovidii* teſtimonio Amor. III, IX, 6.

Obvius huic venias hedera juvenilia *cinctus*
Tempora *cum Calvo*, *docte* Catulle, *tuo.*

unde patet obiisſe juvenem. v. *J. G. Vosſius* Inſtit. Orat. IV, VIII, 8. Quivis itaque fatebitur argumento, quod certisſimum *Barthio* videbatur, nihil tribui posſe. Tantopere tamen *Fontanino* placuit, ut, rationibus paullum mutatis, (nam *Vosſium* ſecutus

Catullum

Catullum ſtatuit obiiſſe A. V. C. 704. Meſſala adhuc ſuptenni,) eo ſolo rem confici poſſe exiſtimaret.

Gallo tribuunt *Obertus Giſanius*, (ſi *Barthium* ſequimur Adverſ. III, 21.) *Barthius* ad *Stat.* Sylv. I, II, 49. IV, VII, 2. Theb. I, 616. II, 140, 486. IV, 30, 414. V, 617. VI, 289, 693. VII, 363. VIII, 205. XI, 49. XII, 811. inprimis Adverſ. l. l. & *Fontaninus* Hiſt. Lit. Aquil. lib. I, II, 6. ſed argumentis & rationibus uſi parum firmis ad probandum. Ponemus tamen, ne vim diſſimulaſſe videamur. ſic igitur *Barthius* Adv. l. c. „ Ob. Giſanius „ odoratus eſt ex ſexta Ecloga Maronis poëmation, quod Ceiris „ nomine Virgilio adſcribitur, ad Corn. Gallum pertinere poſſe. „ Nos rationibus ſubductis & initio Ceiris, non ut a Scaligero „ nobisque ipſis eſt conſtitutum, ſed ut in primis editionibus ha„ betur, ſuſpicionem animo noſtro augemus tale aliquid poëmatio „ illi accidiſſe. Cum enim ait Virgilius,

„ *Tum canit errantem Permesſi ad flumina Gallum*
„ *Aönas in montes ut duxerit una ſororum.*

„ Ceiris illius divinae auctor vario ſe laudis amore jactatum tan„ dem Eratûs auxilio (illa enim correctio certisſima eſt) requie„ turum. Quod ait Maro *in montes* deduxiſſe, nonne poteſt il„ lud alludere, quod in Ceiri dicitur?

„ *Et placitum paucis auſa eſt adſcendere collem.*

„ Quod non ſine ope divini numinis & quidem Apollinei factum „ Virgilius ſcribit. Alia quae occurrunt in eandem rem argu„ menta in commentario dubiorum ſcriptorum prolixius perſe„ quemur. „ *Fontaninus* autem p. 34. „ Tantus ubique con„ ſenſus elucet inter ea, quae de Gallo narrantur a Sileno Vir„ giliano, quaeque de ſe ipſo Gallus narrat in Ciri, ut nihil „ ſupra. Etenim Silenus de Gallo ſcribit, *errantem ad flumina* „ *Permesſi* ab una ex novem Muſis in montes Aönas ductum: „ Gallus in Ciri, quo reſpexit Silenus, ait, *ſe vario jactatum* „ *laudis amore*, *ſub viridi umbra in Cecropio hortulo florentis So*„ *phiae* conſediſſe, & Eratum, ejus Muſam, amorum praeſi„ dem, cujus nomen reticuerat Silenus, *paucis placitum collem*, „ nempe Aonium, adſcendiſſe „.

Equidem

Equidem miror ſimillima viris eruditis videri tam disſimilia. Aliud enim eſt, in Aönium montem ab una Muſarum duci, & calamos accipere, quibus

Grynaei nemoris dicatur origo,
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet Apollo:

aliud nuntium Muſis fere remittere, & in hortulo Cecropio

Florentis viridi Sophiae conſidere in umbra.

Quod autem v. 8.

Et placitum paucis *auſa eſt adſcendere* collem,

de monte Aönio capiunt, ipſo carminis contextu redarguuntur:

Etſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius ſuaves exſpirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiae conplectitur umbra,
** Num mea quaeret eo dignum ſibi quaerere carmen?*
Longe aliud ſtudium, atque alios accincta' labores
Altius ad magni ſuspexit ſidera mundi,
Et placitum paucis auſa eſt adſcendere collem:
Non tamen abſiſtam ceptum detexere munus:
In quo jure meas utinam requieſcere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

Nam liquet intelligi collem Sapientiae ſedem, cui verſibus ſequentibus arcem tribuit:

Si mihi jam ſummam Sapientia panderet arcem,
Quatuor antiquis quae haeredibus eſt data conſors,
Unde hominum errores longe, lateque per orbem
Deſpicere, atque humiles posſem contemnere curas:

& *Lucretius*, quem, ut ſaepe, imitatur, II, 8.

Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae.

Similiter autem *Silius* xv, 101. domum Virtutis in celso colle ponit, & *Simonides* apud *Clementem* Alex. Strom. iv. p. 585. in rupibus aditu difficilibus: Ἐςί τις λόγος, τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσεμβάτοις ἐπὶ πέτραις: quem locum *Barthius* adolescentulus ad v. 8. protulit.

Sed audiamus caetera *Fontanini* argumenta: Silenus, inquit, „ haeret, quid primum loquatur, aut ut Scyllam Nisi, aut ut „ aliam Scyllam, Phorci filiam, Gallus narraverit; quarum prima „ in avem, altera in monstrum saxeum conversa est: hoc pacto „ innuens de utraque Gallum cecinisse. Id quidem hujus parti- „ culae *aut*, utrique Scyllae aptatae, non inanis repetitio confir- „ mat: —— Gallus, Scylla Phorci in aliud tempus seposita, „ Scyllam Nisi suis carminibus celebrandam, se delecturum pro- „ fitetur:

„ *potius liceat notescere Cirin,*
„ *Aut unam ex multis Scyllam novisse puellis.*

Equidem doleo virum doctum magno conatu magnas nugas dixisse. In verbis enim *Maronis*,

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, aut *quam fama secuta est*;

nec *Macrobius*, nec *Heinsii* membranae particulam, *aut*, agnoscunt, quam Criticus nobilissimus additam judicat ab iis, qui nescirent utramque Scyllam a poëtis confundi. Quod autem dicit *Gallum*, Scylla Phorci in aliud tempus seposita, Scyllam Nisi suis carminibus celebrandam se delecturum profiteri, commentum est. Nam quod ejus rei vestigium apparet in verbis poëtae, quibus confidit?

potius liceat notescere Cirin,
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.

Nec majoris ponderis est sequens argumentum: Demum Sile- „ nus Phorci filiae metamorphosim ab Gallo descriptam comme- „ morans tres integros Galli versus ex Ciri (57, 58, 59.) usur- „ pavit, (Ecl. vi, 75, 76, 77.) initio tertii leviter immutato,

„ *Quid*

„ *Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est*
„ Candida succinctam latrantibus inguina monstris
„ Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
„ Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis:

sunt enim unius ejusdemque scriptoris *Virgilii*, quemadmodum supra docuimus: nec pertinent ad *Gallum*. Quis enim repertus est, qui Scyllae, Phorco natae, metamorphosin ab hoc scriptam traderet? *Servius* quidem ad *Virg.* Ecl. x. in. libros poëtae commemorat, & ad Ecl. VI, 72. *Euphorionis* carminum, quae dicit eum *transtulisse* in Latinum sermonem, exponit argumentum; sed hujus operis, quod tamen *Maronis* interpres memorare debuerat, non meminit. Deinde verba,

Quid loquar, aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est
Candida succinctam &c.

cohaerent cum sequentibus,

Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit?

Dicendum itaque foret itidem Terei & Philomelae metamorphoses a *Gallo* scriptas esse. Sane id statuit *Fontaninus* p. 31. Sed totus Eclogae contextus repugnat, quippe qua *Virgilius* exponat, quid Silenus, non autem *Gallus*, narraverit:

Namque canebat, *uti magnum per inane coacta*
Semina terrarumque, animaeque marisque fuissent.
Hinc lapides Pyrrhae jactos, Saturnia regna,
Caucaseasque refert *volucres, furtumque Promethei.*
His adjungit, *Hylan nautae quo fonte relictum*
Clamassent:
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur *amore juvenci.*
Tum canit *Hesperidum miratam mala puellam:*
Tum Phaëthontiadas musco circumdat *amarae*
Corticis, eque solo proceras erigit *alnos.*
Tum canit *errantem Permessi ad flumina Gallum*

Aönas in montes ut duxerit una sororum.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est &c.
Aut ut mutatos Terei narraverit *artus?*
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit?
Omnia quae Phoebo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit.

Quis enim non videt haec omnia, *canebat*, *refert*, *adjungit*, *solatur*, *canit*, *circumdat*, *erigit*, *canit*, *canit*, *narraverit*, *canit*, uni Sileno tribui, nec nisi perabsurde versus medios,

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis:
Aut ut mutatos Terei narraverit *artus?*
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit?
Quo cursu deserta petiverit, & quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?

Gallo tribui posse? Ex his item luce clarius est *Fontaninum*, *Virgilii* verbis non intellectis deceptum, nullo jure Scyllae, Phorci filiae, & Terei & Philomelae metamorphoses inter *Galli* libros retulisse.

Videamus ultimum ejus argumentum, quo Cirin *Gallo* vult adjudicari: „ iis, quae diximus, accedit; quamvis propter artificium, summamque elegantiam, Ciris poëma auro & cedro „ dignissimum sit, tamen ob trajectionem verborum alicubi durius videri, quem naevum in carminibus Fabium tetigisse paulo „ supra indicavimus. „ Sed primum nullas verborum trajectiones in poëmate deprehendimus: deinde *Quinctilianus* de elegia loquens *Gallum*, *Tibullo*, *Propertio*que duriorem esse judicat Inst. Or. X, 1, 93: denique nemo praeter *Fabium* ejus duritiem notavit. Utinam nobis superesset aliquod vatis, ab aequalibus adeo celebrati, carmen, ut ipsi per nos judicare possemus! *Servius* quidem tradit conplures versus, eosque minime duros, a *Virgilio* servatos esse Ecl. x. sic enim doctissimus interpretum ad v. 46.

Hi

Hi autem omnes versus Galli *sunt, de ipsius translati carminibus.* v. *Fontaninus* p. 35. a quo locum notatum esse sero vidimus. Putat autem vir doctus hos esse:

Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum
Alpinas, ah dura, nives & frigora Rheni
Me sine sola vides. ah te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, & Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum,
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illae: crescetis amores.

Quod si vera tradit *Servius*, perspicue fallitur *Broekhusius*, qui nullum *Galli* versum superesse statuit ad *Prop.* II, xxv, 29. Unum quidem *Vibius Sequester* servavit, uti *Fabricius* in Biblioth. Lat. notavit, & antea *Barthius* Adv. XLI, 26. Sed fac duriorem fuisse *Gallum:* nihil id ad sententiam *Fontanini* probandam adjuvat. Hac enim ratione concludi queat: Ciris ab intelligentibus vocatur carmen elegans, amabile, & delicatum: *Gallus* autem durior erat: ergo Ciris a *Gallo* non est conposita.

Restat tertia eorum sententia, qui dubitare se profitentur, an *Virgilio* Ciris sit adjudicanda, aut ab eo confidenter abjudicant, & incerto poëtae tribuunt.

Dubitare se profitentur *J. G. Vossius* de Philos. Sectis cap. VIII. §. 25. & *Bochartus* de Animal. S. S. T. I, II, 19. Abjudicant autem *Scriverius* ad *Martial.* p. 161. *Broekhusius* ad *Tibull.* p. 90. *Heynius* ad eundem p. 319. & *Ruaeus* in Hist. *Virgilii* ad A. V. C. 696. qui sententiam rationibus affirmare conatus est: „Idem „esto de Ciri judicium, quam Ovidii tempore posteriorem esse „indicat Scyllae, patris & patriae ruinam meditantis, cum nutri„ce colloquium; locus omnino exaratus ad similitudinem illius „colloquii, quod habet Myrrha, patris amore insaniens, cum „nutrice item sua, Metam. lib. 9. Nec abstinet Scyllae nutrix „ab exemplo ipsius Myrrhae proferendo; ut plane existimem fi„ctorem illum Virgilianae Ciris, ad Myrrham Ovidianam inter

„ scribendum oculos intendisse. —— jacent in eo multa, multa „ horrent, nitent quam paucissima. „

Equidem miror hominem sententiae suae, tam levibus argumentis affirmatae, tam ferociter confidere. Quis enim dabit ei Ciris scriptorem Scyllae colloquium cum nutrice imitatione expressisse ex colloquio Myrrhae & nutricis apud *Ovidium* Metam. x, 382——431? Certe non *Fontaninus*, qui similitudinem inde ductam se negat agnoscere. Quod si colloquia simillima essent, nonne probabilius videretur *Ovidium*, qui toties in libris Metamorphoseon *Virgilium* secutus est, eundem pariter in his expressisse? Quam credibile porro est, poëtam venustissimum tot versus, eosque continuos, a *Virgilio* sumsisse? *Virgilius* solitus erat iisdem versibus bis uti, sic ut saepe unam aut alteram vocem mutaret. v. *Heinf.* ad Ecl. v, 37. & Aen. ix, 814. Verisimilius itaque est, eum versus in Ciri positos similiter in alia carmina transtulisse, quam alium scriptorem politum & artificem tot, tamque aperta, furta fecisse. Quid? quod dictio, & prisca quaedam vocabula ejus temporis scriptorem indicant. Verum pluribus verbis hanc opinionem labefactare non debeo, cum mentio Messalae, cui carmen dicatur, penitus eam conficiat. Inter omnes enim constat eum decessisse, priusquam *Ovidius* relegaretur. v. *Scaliger* ad *Euseb.* Chron. p. 180. *Massonus* in vita *Ovid.* ad A. V. C. DCCLVII. & *Fontaninus* p. 39.

Res igitur confecta est, mihique, qui longior fui, perorandum.

Utinam vero carminis *Maroniani* splendor paucioribus & minoribus maculis adspersus esset, aut saltem veteres membranae reperirentur, quarum ope deleri possent! Sed harum pertenuis, aut nulla spes ostenditur. *Heinsius* quidem, diligentissimus earum investigator, tantum libri recentis & in charta scripti, quem publica Basileae bibliotheca servat, (v. Syll. Epist. *Burm.* T. IV. p. 148.) exemplar habuit, idque editis, ut usu didici, simillimum. Nam benevolentissimus atque amicissimus *Burmannus* ipsum illud Amstelodamo nuper ad me misit. Nihilominus *Parrhasius*, *Contarenus*, *Leopardus*, *Jac. Nic. Loënsis*, *Turnebus*, *Barthius*, *Bentlejus*, vir doctus in Observ. Misc., *Dorvilius*, *Heinsius*, *Burmannus* in notis ineditis, & in primis *Scaliger* quaedam

dam ſcripturae menda ſuſtulere, quorum ſecuturus exemplum ordiar a v. 6.

Longe aliud ſtudium, atque alios accincta labores,
Altius ad magni ſuspendit *ſidera mundi*,
Et placitum paucis auſa eſt adſcendere collem.

Verſus medius vehementer eruditisſimos viros exercuit. *Livineius* ad *Plin.* Paneg. cap. 6. & *Catull.* LXV, 104. legens,

Altius at *magni* ſuspendit *ſidera mundi*,

ſuspendit, interpretatur, ſuspenſa & ſuperne inpendentia deſcribit: *Barthius* autem, *ſuspenſa eſt*: *Euſtathius* vero *Swartius* Anal. III, 14. cum verbo *quaerere*, quod praecedit v. 5. conjungit: ſed haec ferri nequeunt. *Scaliger*, probante *J. M. Gesnero*, (v. Theſ. L. L. v. *ſubtendo*) corrigit, *ſubtendit*, hoc eſt, ſurſum tendit: *Heinſius* autem, *ſe tendit*: vel, *ſuspendi*: *Burmannus* vero V. C. *dum pendet*, vel, *tendit*, vel, *mens tendit.* Ego malim:

Altius ad *magni* ſuspexit ſidera *mundi.*

Lucretius, quem ſaepe *Virgilius* imitatur, II, 1038.

Suspicere in *coeli dignatur lucida* templa.

Virgilius Aen. IX, 402.

Suspiciens *altam* ad Lunam:

ut quidem codex Zulichem. habet; &, quod rem conficere videtur, ipſe Ciris v. 216.

& altum
Suspicit ad *culti nutantia* ſidera *mundi*:

ubi eadem ferme verba reperias. Hoc autem loco *Scaliger* pro, *coeli*, (nam ſic vulgatos olim libros habere teſtatur) legendum ſuſpicatur: *celſi* mundi. Robur addit MS. liber Baſileënſis, in quo, *celi.* Addit vir ſummus: „ potes & legere, *nictantia* ſi-
„ dera.

„ dera. videntur enim connivere, cujus rei causſam reddidit *Ari-*
„ *ſtoteles* in Meteorologicis. „ Favere videtur *Lucretius* VI, 181.

Semina, quae faciunt nictantia fulgura flammae.

Praeterea librarii ſolent, *nictus*, in, *nutus*, mutare. v. *Heinſ.* ad *Claud.* Conſ. Mall. v. 313. & in primis *Burmannus* ad *Ovid.* Metam. III, 461. Denique Baſileënſis liber in margine habet, *nictancia*, quod *Joh. Rud. Wetſtenio*, qui ejus exemplar ad *Heinſium* miſit, valde placebat.

v. 46.

Accipe dona meo multum vigilata labore,
Et praemiſſa tuis non magna exordia rebus.
Inpia prodigiis *ut quondam* exterruit amplis
Scylla, novosque avium ſublimis in aëre coetus
Viderit.

Scaliger ad v. 48. „ Hic ἀνακόλουθον eſt, & procul dubio aliquod „ magnum monſtrum alit lectio. „ Legit autem, plaudente *Barthio*:

prodigiis *ut quondam* exercita amoris;

hoc eſt, amore prodigioſo. Sed, minore mutatione facta, corrigendum eſt: *prodigiis exterrita.* *Ovidius* Metam. IV, 487.

monſtris exterrita *conjux,*
Territus *eſt Athamas.*

Virgilius Aen. III, 307.

magnis exterrita monſtris.

Nec aliter *Valerius Flaccus*, & *Statius* loquuntur. v. *Marklandus* in Epiſt. Crit. p. 119. *Quinctilianus* I. O. I, x, 47. *ne velut* prodigio *divinitus facto militum animi* terrerentur. *Suetonius* Aug. c. 94. prodigium *factum publice, quo denuntiabatur regem P. R. naturam parturire: ſenatum* exterritum *cenſuiſſe. N. Heinſius* autem

pro,

pro, *amplis*, conjiciebat: *exercita diris*, vel *miris:* ego non habeo, quod liqueat. Posterius tamen magis placet, fortasse quia & nobis in mentem venit.

v. 94.

Pierides, quarum castos altaria postes
Munere saepe meo inficiunt, foribus*que* hyacinthi
Deponunt flores, *aut suave rubens narcissus*,
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha:
Sparsaque liminibus floret rosa.

Quis unquam sic locutus est? *hyacinthi* deponunt flores *in templi foribus.* Aut vehementer fallor, aut vere correxi:

foribusque hyacinthi
Dependent flores, *aut suave rubens* narcissus.

Ovidius Metam. VIII, 722.

equidem pendentia *vidi*
Serta *super ramos*, *ponensque recentia dixi.*

& IV, 759.

Serta*que* dependent *tectis.*

Similiter autem librarii confudere, *suspendit*, & *supponit*, in *Claudiani* libris in Eutrop. I, 208. *pendere*, & *ponere* v. 204. &, *inpendit*, & *apponit*, de Mall. Conf. v. 66. *Hyacinthi* vero *flores* poëta dixit, ut *Horatius* Carm. II, III, 13.

nimium brevis
Flores *amoenos ferre jubes* rosae.

&, quem toties imitatur, *Catullus* Carm. LX. de N. M. v. 6.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.

Nec aliter conjecit Criticorum princeps *N. Heinsius*, cujus optimas correctiones cum meis fere congruere video.

v. 129.

Nec vero haec vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat: nisi Scylla novo correpta furore,
Scylla patris miseri patriaeque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non *inhiasset ocellis.*

Si diligenter haec attendamus, deesse nomen ejus, quem Scylla cupidis ocellis inhiaverit, intelligimus. Itaque *N. Heinsius* legebat:

Minoëm *cupidis si non inhiasset ocellis.*

v. Syll. Ep. *Burm.* T. IV. p. 162. ubi *Tollium*, qui eandem correctionem adhibuerat ad *Auson.* Prof. p. 148. a se sumsisse dicit. Idem mihi in mentem venerat: sed cum poëtas refugisse viderem a quarto casu *Minoëm*, nec versum sic correctum cum praecedentibus congruere,

(nisi Scylla *novo correpta furore*,
Scylla *patris miseri patriaeque inventa sepulcrum*,
Minoëm *cupidis* si non inhiasset *ocellis.*)

mox aliam viam secutus ad id, quod quaerebam, facile perveni. Patuit enim commodius legi posse:

nisi Scylla *novo correpta furore*,
Scylla *patris miseri, patriaeque inventa sepulcrum*,
O nimium cupidis Minoï inhiasset *ocellis:*

in qua correctione manifesta vestigia priscae lectionis apparent. Nunc video mecum facere *N. Heinsium.* Sic enim vir eximius in brevibus notis: „ Lege: Minoëm *cupidis si non inhiasset ocel-*
„ *lis:* vel, Minoä heu *cupidis.* Sublegit mihi *Tollius* ad *Auson.*
„ p. 148. Sic infra, *generum Minoä* declinatione Graeca. s. O
„ *nimium cupidis* Minoï.

V. 224.

Et simul, o nobis sacrum caput, *inquit, alumna.*

Vereor, ut alumna *sacrum nutrici caput* dici queat. Itaque malim trajecta litera corrigere, *nobis* carum *caput.* Nihil usitatius, ac tritius. *Valerius Flaccus* II, 404.

Carius

Carius o mihi patre caput.

IV, 24.

Stansque super carum *tales* caput *edere voces.*

Ipse *Virgilius* Aen. IV, 354.

Me puer Ascanius, capitis*que injuria* cari.

Voces autem permutari *Burmannus* ostendit ad *Ovid.* Metam. III, 156. Addo *Senec.* Troad. v. 643.

Hinc gnatus, *illinc* conjugis cari *cinis.*

ubi codex Flor. ultima vocis antecedentis litera pariter geminata, *conjugis* sacri. Similiter *N. Heinsius* in *Silii* lib. VIII, 71. pro,

Ecce autem Aeneas, sacro *comitatus* Jülo,

caro reponebat; ut in *Senecae* Thyesta v. 93.

moneo, *ne* cara *manus*
Violate caede:

& *Phoenissis* v. 277.

nemo sine caro *feret*
Illud cruore:

pro *sacra caede*, &, *caro cruore.* v. Adverf. p. 36, 37, 52. Hinc autem liquet librariorum consuetudinem fuisse, ut *carum* in *sacrum* mutarent.

v. 225.

Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Ignotas tenui suffudit sanguine venas:
Nec levis hanc faciem (neque enim pote) cura subegit.
Haud fallor, quod te *potius* Rhamnusia fallit.
Nam qua te caussa &c.

In v. 228. mendum latere omnes intelligunt. Itaque *Nicol. Loënsis* Epiph. Misc. VIII, 26. corrigebat:

quod te *potius Rhamnusia* fallat.

Josephus autem *Scaliger* veterem lectionem probabat:

Haud fallor: quod te potius, Rhamnusia, fallar.'

„ id est, inquit, quod potius te precor, Rhamnusia, ut fallar. „ sic, *te*, *Neptune pater*. eleganter subticetur, *precor*. „ Sed sibi habeat istas elegantias: ego legam:

Haud fallor: quod ut o potius, *Rhamnusia*, fallar!

Pro multis argumentis est appositus, & similis ipsius poëtae locus Aen. x, 628.

aut ego veri
Vana ferar, quod ut o potius *formidine* falsa
Ludar, *& in melius tua, qui potes, orsa reflectas!*

Nam, *fallar*, MS. Basil. firmatur, qui, *fallor*, exhibet. *Heinsius*, ut nunc video, tentabat:

Haud fallor: atque *o potius, Rhamnusia*, fallar!

sed hanc correctionem nemo nostrae praeferet, maxime si valde placuerit ingeniosissimi *Marklandi* sententia pro, *Rhamnusia*, scribendum putantis, *Amathusia*, ad *Stat.* Sylv. V, III, 258.

v. 297.

Atque utinam Cereri, nec *tantum grata Dianae*
Venatus esses virgo sectata virorum;
Cnosia neu Partho contendens spicula cornu
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam tam obnixe fugiens Minoïs amores,
Praeceps aërii specula de montis abisses.

Primi versus haud dubie mendosi sunt. Nam Diana, non autem Ceres, venationis habebatur studiosa. *Taubmannus* quidem sic explicat: „ Utinam non tantum Dianam tibi demeruisses, sed & „ Cererem, quae te forte in alio negotio detinuisset, ne dum „ venatui indulges, quae virorum partes sunt, a Minoë conspe- „ cta, & infeliciter amata fuisses: „ sed haec, „ quae te forte

in alio negotio detinuisset, „ in *Virgilio* frustra quaeras. Mihi corrigendum videtur:

Atque utinam celeri non tantum grata Dianae
Venatus *esses virgo sectata* ferarum.

celeri debemus *Aldo*, & margini *Pith.* ed. in quo legitur itidem, *non tantum.* Illud autem confirmat *Ovidius* Metam. IV, 304.

Solaque Naïadum celeri *non nota* Dianae:

venatus vero *ferarum Silius* VIII, 317.

Haud illo levior bellis Vestina juventus
Agmina densavit venatu *dura* ferarum.

Nam *f* & *v* saepissime commutantur in MSS. codicibus. v. *Drakenb.* ad *Liv.* XXI, II, 4. Pariter autem librarii, *feras*, in, *viros*, mutarunt in *Manil.* V, 180.

Et Calydonea bellantem rupe puellam,
Vincentemque viros; *&*, quam *potuisse videre*
Virgine majus erat, *sternentem vulnere primo:*

quod non animadvertens *Bentlejus* huc illuc fluctuat: „ *quam* feram, belluam, vel, si mavis, *quem* aprum, vel *quod* monstrum ——: „ quae nauci non sunt. Nec enim ferri, nec intelligi potest: *puella vincit viros*, *& sternit*, quam, quem, quod

potuisse videre
Virgine majus erat:

id est, feram, vel aprum, vel monstrum. At facilis & perspicua est correctio sagacissimi *Marklandi* ad *Stat.* Sylv. I, I, 65.

Vincentemque feras, *&*, quam *potuisse videre*
Virgine majus erat, *sternentem vulnere primo.*

vel illud, *quam*, docere poterat *feras* praecessisse. Contra, *feri*, pro, *viri*, mendose legitur in quibusdam libris MSS. *Propertii* II, V, 16.

 Caeterum

Caeterum *celeri* placuit itidem *N. Heinsio*, qui, monente ad *Ovid.* l. c. *Burmanno*, legebat:

> *Atque* utinam *celeri* ne *tantum grata Dianae*
> *Venatus esses virgo sectata virorum.*

Sane illud, *utinam ne*, elegans est dicendi modus: sed in locis *Ennii* p. 167. & 212. aliorumque verbum nullum, ut hic, *celeri*, interponitur. Quare praeferendum videtur: *utinam* c. *non* tantum g. D. Sic autem *Cicero* locutus est. Quo sensu vero Criticus nobilis ceperit, *venatus virorum*, non liquet. Si putaverit puellam cum viris, Atalantae more, venatum ivisse, falsus est. Comes enim Dianae, virginis castissimae, congressus virorum fugiebat. *Anton. Liberalis* c. 40. ἄυτη φυγῦσα τὴν ὁμιλίαν τῶν ἀνθρώπων ἠγάπησεν ἀεὶ παρθένος εἶναι. v. *Meurs.* in Creta p. 304. *Heinsius* quoque adscripserat in notis ineditis: possis &, *Veneri.* Idem conjecit antea *Barthius*, & exhibuit *Parrhasius* in Quaes. per epist. xxx. Et sane *venari*, & *venatus* a bonis scriptoribus sic usurpantur. v. Interpr. *Phaedri* IV, IV, 4. & *Burm.* Anthol. T. I. p. 390. Voces autem confundi patet ex *Heins.* ad *Ovid.* Am. III, x, 47. & *Maximiniani* Eleg. I, 163.

> *Nec* Veneris *sunt grata mihi*, *nec munera Bacchi.*

nam *Withofius* Encaen. Crit. p. 315. vere restituit, *Cereris.* Sed quam matri decorum sit, optare castissimae Dianae comiti, ut venetur viros, viderint prudentiores.

v. 333.

> *Quod si non* alia *poteris* ratione *parentem*
> *Flectere: sed poteris: quid enim non unica possis?*
> *Tunc potius tamen &c.*

Atqui nullam rationem memoravit. Quis est itaque, qui legere dubitet, *aliqua*, vel potius, quia vocabulum v. 331. praecedit,

> *Quod si* non ulla *possis* ratione *parentem*
> *Flectere?*

v. 378.

Verum

Verum ubi nulla *movet stabilem* fallacia *Nisum*,
Nec posfunt *homines*, *nec* posfunt flectere *Divi*.

Similiter in *Livii* lib. IX, xxix, 2. *Nec erat ea tempestate gens* alia, *cujus arma terribiliora essent*, alii codices habent, *aliqua*; alii, *ulla*. v. *Drakenb.*

v. 416.

Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio: quod sic patriam, carosque penates
Hostibus, immitique addixi ignara tyranno.
Verum esto. haec, *Minos*, *illos scelerata putavi*,
Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
Facturos: *quorum direptis moenibus urbis*,
O ego crudelis flamma delubra petivi:
Te vero victore prius vel sidera cursus
Mutatura suos, *quam te mihi* talia *captae*
Facturum *metui*.

Sic v. 421. nunc exhibent *Scaligerum* fecuti, qui exponit; „ ἀλλὰ ἕεν. Nimis inepta fui, fateor, o Minos, quae putarim „ Deos haec mihi facturos, hoc eft, in hoc fcelere opem mihi „ laturos, quorum delubra ego hoftibus diripienda, & incendenda tradidi. „ fed vir fummus longisfime aberravit a perfpicua poëtae fententia, quam *Barthius* adolescentulus vidit *illos* interpretatus Scyllae parentes & cives. Quis autem illud, *verum esto*, fic pofitum ferre poteft? In pervulgatis ante libris invenitur: verum *est haec*, vel, *est hoc*: in MS. Bafil. verum *est hoc*. Scribendum nempe parva mutatione facta:

Verum ifthaec, *Minos*, *illos scelerata putavi*
Facturos:
Te vero victore prius vel sidera cursus
Mutatura suos, *quam te mihi* talia *captae*
Facturum *metui*.

Catullus, quem perfaepe *Virgilius* in hoc poëmate fequitur, Carm. LXVI, 36. & 42.

Dixerit

Dixerit hic aliquis: Quî *tu* isthaec, *Janua*, *nosti.*

Haec autem frequens imitatio facit, ut suspicer v. 448. leviter esse corrigendum:

Jam fesso *tandem fugiunt de* corpore *vires:*

pro, *fessae.* sic enim *Catullus* de N. P. & T. v. 189.

Nec prius a fesso *secedent* corpore *sensus;*

& ipse *Virgilius* Aen. IV, 522.

Placidum carpebant fessa *soporem*
Corpora *per terras.*

Eadem docet *Heinsium*, *Graevium* Syll. *Burm.* T. IV. p. 238. p. 242. & 243. & ante eos *Barthium* Adv. X, 12. & *Jac. Nic. Loënsem* Misc. Epiphyll. VIII, 23. ex edito *Leopardi* libro recte v. 11. correxisse:

Et leviter blandum liceat deponere amorem.

Nam sic poëta Veronensis Carm. LXXV, 13.

Difficile est longum subito deponere amorem.

Quo magis miror in mentem venisse viro cuidam doctissimo tentare:

Et leviter blandum liceat deponere honorem:

quasi de tyrocinio, quod *poni* & *deponi* dicitur, *Virgilius* loqueretur.

v. 459.

Labitur interea revoluta a litore *classis.*

Legendum videtur: *resoluta.* Mecum facit *Heinsius.*

v. 469.

Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Jam procul e fluctu Minoïa respicit arva,

Florentisque

Florentisque videt jam Cycladas hinc Strophadas*que.*
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereïdum matri, & Neptuno Aegaeo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon,
Marmoreamque Paron, *viridemque adlapsa* Donysam:
Aeginam*que simul serpentiferamque* Seriphon
Fertur, & incertis jactatur ad omnia ventis.

Describitur iter Minoïs cum Scylla Megaris per Aegaeum mare Cretam navigantis. Quivis itaque, veteris Geographiae non inperitus, videat in his versibus non tantum insulas confuse & permixte dispersas esse, sed etiam memorari, quas Scylla, nave cursum tenente, nec praetervehi nec spectare potuerit. Dicat aliquis, navem crebra ventorum mutatione toto mari huc illuc jactatam fuisse, idque colligi ex v. 478.

incertis jactatur ad omnia ventis:

mihi negligentia poëtae videtur de verbis magis, quam de rebus, earumque ordine, laborantis. In simili quidem descriptione similia peccavit *Statius* Achill. II, I.

Jamque per Aegaeos ibat Laërtia fluctus
Puppis, & innumerae mutabant Cycladas *aurae.*
Jam Paros, Olearos*que latent. jam raditur alta*
Lemnos, *& a tergo decrescit Bacchica* Naxos,
Ante oculos crescente Samo: *jam Delos opacat*
Aequor:

in quibus versibus jam doctissimo *Wesselingio Lemnos* Cycladibus immixta displicuit ad *Antonini* Itin. p. 528. sed gravius peccatum vidisset, si navigationem Ulyxis, & Diomedis, Aulide (I, 447, 491.) versus Scyron (II, 18.) proficiscentium, describi cogitasset, a quibus locis insulae, *Paros*, *Olearos*, *Naxos*, *Samos*, & *Lemnos* longe remotae sunt. Fuere tamen, quibus haec valde arriderent. Sic enim *Barthius* ad v. 1. „ In hac autem in„ sularum Aegaei descriptione incredibilem ingenii Papiniani fe„ licitatem agnoscit; eamque magna jucunditate ad tabulas do-

„ ctorum hominum industria concinnatas referendam bene omni-„ no judicat Nicolaus Gerbelius, praefatione Illustratae Grae-„ ciae, qui & imitationem Maronianam in his versibus indica-„ vit. „ Quamvis vero *Virgilius* in hac insularum enumeratione negligenter versatus esse videatur, nunquam tamen adducar, ut eum scripsisse credam,

Florentisque videt jam Cycladas, hinc Strophadas*que.*

Nam *Strophadas*, in Jonio mari sitas, ne Lynceus quidem, Megaris Cretam navigans, videre possit. Quid? quod Scylla dici nequit *Cycladas*, & *Strophadas*, a se longissime remotas, eodem tempore spectasse. Aut nihil in arte Critica certum est, aut poëta scripsit:

Florentisque videt jam Cycladas *hinc*, Sporadas*que.*

Has enim scriptores conjungere solent, ut *Dionysius* Perieg. 525, 530. *Strabo* II. p. 186. X. p. 727. p. 742. p. 748. *Agathem.* I, 5. *Dicaearchus* p. 26. ed. *Hudf.* *Ampelius* c. 6. *Solinus* c. XI. *Plinius* IV, 22. p. 214. & ipse *Virgilius* Aen. III, 123. referens iter Aeneae relicta Delo Cretam petentis:

Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donusam,
Olearon, niveamque Paron, sparsas*que per aequor*
Cycladas, *&* crebris *legimus* freta consita terris:


ubi *viridem Donusam*, *Paron*, *Cycladas*, & *Sporadas* pariter conjunctas videmus. Quid? quod de nonnullis insulis inter ipsos scriptores dissensio est, utrum inter Sporadas, an Cycladas referri debeant. v. *Eustathius* ad Dionys. v. 525, 530. & *Cellar.* G. A. II, XIV, 159. Quid? quod *Priscianus* v. 130. *Cycladas* habet, ubi *Dionysius* v. 132. *Sporadas.* Quid? quod *Donusam Mela*, *Plinius*, & *Eustathius* ad *Dionys.* v. 530. inter Sporadas numerant. Etenim pro, Νουσία, *Vossius* ad *Melam*, & *Holstenius* ad *Steph.* Byz. p. 102. reponunt, Δονουσία. Videntur autem librarii *Sporadas*, in *Strophadas*, sibi notiores, mutasse, ut in *Mart. Capella* lib. VI. p. 213. ed. *Grot.* *In Myrtoo autem mari* Cyclades —— *Item* Strophades,

des, *quarum Naxos Homeri sepulcro veneranda:* quippe res ipsa, & *Plinius* IV, XXII. a quo negligenter sua descripsit, ostendunt corrigendum esse: *Sporades.* Nec aliter verba profert *Salmas.* ad *Solin.* p. 126. A Graeca tamen voce non refugere *Mela*, *Plinius*, *Priscianus* v. 550. & *Avienus* D. O. v. 190, 710.

Hinc Sporades *crebro producunt cespite sese*,
Densa serenato ceu splendent *sidera coelo:*

uti correxit *Withofius* Spec. *Gunther.* p. 156. ignorans edit. Madrit. & *Hudson.* sic habere. *Sporadas* etiam *Burmanno* placuisse nuper ex notis ineditis intellexi. Sic enim vir eximius: „ *Strophadas*que] Illae in Jonio. Leg. *Sporadas*que. „ Nec aliter, ut forte quadam sero vidi, dedit *S. Henr. Petri* in libris Basileae vulgatis A. 1613. & 1586. nulla tamen mentione correctionis facta. An *G. Fabricio* tribuenda est, qui Basileae A. 1547. & sequentibus *Virgilium* edidit? Ejus quidem praefationem A. 1547. scriptam *S. H. Petri* addidit. In aliis vero libris nihil tale reperitur. *Strophadas* enim dedere *Scaliger*, *Pithoeus*, & *Heinsius*; *Stropadas* autem, ut indicavit *Burmannus*, V. C. Vicet. A. 1479. Brixiens. 1485. Ven. 1487. *Ald.* vero, & *Rob. Steph.* 1540. hinc *Venus illi.*





CAPVT IV.

Horatii quaedam loca correcta. Jurisconsulti cautores, non autem caupones dici queunt. Providus cautor. Dubitatum de loquendi genere, divitias & acervos aeris ruere, pro eruere. Struere, construere, & exstruere divitias, & nummorum acervos. Exstructi morientum acervi. Pindarus, quem Thebanum vocant, emendatus. Que recte excipitur voce, cujus primae literae sunt str. Ruere, & struere confunduntur. Opprobria in aliquem fundere. Indeque. Disquisitio de verbis, uterque Poenus serviat uni. Poeni distinguuntur a Phoenicibus. De locis Manilii, Ciceronis & Plinii. Gaditani vocantur Poeni. Uterque pontus.

Cum multi vel potius innumerabiles interpretes *Horatii* scripta commentariis illustrasſent, aut correxisſent, exortus eſt tandem *Bentlejus*, qui partes editoris & Critici ſic inplevit, ut ipſe *Burmannus* judicaret, „ a renatis literis non utiliorem cuiquam „ poëtae operam fuisſe inpenſam, neque certas magis & vi de„ monſtrandi commendabiles emendationes a Critico quoquam pro„ latas. „ Et tamen adhuc plurima reperias loca, quae menda contineant, aut difficiles habeant explicatus. Fatebuntur hoc omnes, qui conſideratum ſcriptorem diligenter, & attente legerint. Fateri certe non erubuit *Marklandus*, ad quem nunc primas Britanni deferunt. Sic enim Criticus, optime pariter de Venuſino vate meritus, in Explic. Veter. Aliq. Auctor. p. 261. „ in Horatio, poſt „ omnia, quae in eum ſcripta vidi, innumera ſunt, quae non in„ telligo. In toto opere vix una eſt Ode, Sermo, vel Epiſtola, „ in quibus hoc non ſentio, dum lego. „

Operae itaque pretium erit paucas de multis emendationes in hoc caput conjicere, caeteris in aliud tempus reſervatis.

Initio Sat. 1. lib. I. quatuor inducuntur hominum genera, qui, non contenti ſuis rebus, alienas laudent, miles, mercator, jurisconſultus, & agricola:

O fortunati

O fortunati mercatores, gravis annis
Miles *ait, multo jam fractus membra labore:*
Contra mercator, *navem jactantibus Auſtris,*
Militia eſt potior.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille, *datis vadibus* qui rure extractus *in urbem eſt,*
Solos felices viventes clamat in urbe.

Iidem eodem ordine memorantur v. 16.

eris tu, qui modo miles
Mercator: *tu* conſultus *modo*, ruſticus.

Illis autem facete & urbane irriſis hoc modo pergit *Horatius:*

Ille *gravem duro* terram qui vertit *aratro,*
Perfidus hic caupo, miles nautae*que:*

ubi jurisconſulto bis antea memorato praeter exſpectationem caupo ſubſtituitur. Aut igitur jurisconſultus hic *caupo* vocatur; aut *Horatius* in locum jurisconſulti cauponem ſubſtituit; aut turpe mendum in ea voce latet: at nemo repertus eſt, qui jurisconſultum vocaret *cauponem;* nam quivis videat plurimum differre illud apud *Ennium,*

Non cauponantes bellum, *ſed belligerantes;*

atque illud apud *Claudianum,*

Inſtitor imperii, caupo *famoſus* honorum:

nec *Horatius* in locum jurisconſulti *cauponem* ſubſtituit; nam pronomen demonſtrativum *hic* ſatis indicat hominum genus ante inductum memorari: *cauponis* autem mentio facta non eſt: nec poëta conſideratisſimus tam negligenter & inconſiderate ſcribere potuit, nec tam ſubito oblivisci, quod paullo ante poſuisſet; ut nunc omittam, poëtas in praecipuis hominum ſtudiis & artibus nunquam *cauponias* numerare; nec *caupones* in eos commode referri, qui ſe magnis in laboribus exerceant,

ſenes ut in otia tuta recedant:

turpe igitur mendum in voce, *caupo*, latet. Id autem primus vidit *Marklandus;* ſed parum feliciter (pace Critici magni, & amabilis dixerim) corrigere conatus eſt. Quis eſt enim, cui perſuaderi posſit ſub verbis, *Perfidus hic caupo*, latere, *Cauſidicus vafer hic?* Equidem vereor, ne Criticae non initiatis ridendo verum dixisſe viſus ſit, cum „ Deo Riſui ſacra ſe facere „ ſcriberet Epiſt. Crit. p. 7: nullus autem dubito, quin reponi debeat,

Perfidus hic cautor.

Quis enim neſcit jurisconſultos proprie dici ſuis clientibus & conſultoribus *cavere*? Pervulgati ſunt, & in ore multorum verſus *Ovidii*,

Illo ſaepe loco capitur conſultus *amore*,
Quique aliis cavit, *vix* cavet *ipſe* ſibi.

Quid? quod *Cicero* jurisconſultos appellavit *cautos*? quid? quod nec ipſe nec *Plautus* a verbo, *cautor*, refugit? Librariis tamen incognitum fuisſe videtur, & ideo mutatum in uſitatius, *caupo*, quem *Flaccus*, ut alii, cum *nautis* conjunxit Serm. I, v, 4.

nautis, cauponibus *atque malignis.*

Erat itidem lapſus ab una voce ad alteram facillimus, quia compendia ſcripturae ſequebantur, & ſaepe *P* pro *T* ponebant. v. *Gronov.* Diatr. *Stat.* cap. 36. p. 232. laudatus a *Drakenb.* ad *Liv.* XXXVII, xv, 11. qui plura confuſionis exempla ſuppeditat. Sic itaque, minima mutatione facta, quatuor hominum genera reducuntur, quae bis antea *Flaccus* memoravit, itemque *Prudentius*, eum ſecutus, Cathem. II, 41.

Illum forenſis gloria,
Hunc triſte raptat claſſicum,
Mercator *hinc ac* ruſticus
Avara ſuſpirant lucra.

At enim *J. Jones*, Anglus, egregia defenſione in notis ad h. l. nuper uſus eſt: „ Sic MSS. omnes; ex ductu literarum facit quidam:

dam: *Caufidicus vafer hic*; quod ego improbandum cenfeo. At nî *juris* legumque peritus (v. 9. memoratus) hic per *cauponem* innuitur, *Horatius* characterem novum inducit, & quum prius nominârat quatuor, jam de tribus tantum disferit. Profcindit forfan quendam fui temporis caufidicum, *caufas* non agentem, fed *cauponantem*. „ Immo vero nihil ad argumenta *Marklandi* dixit, atque adeo nihil attulit, quo vulgata fcriptura defendatur. Nec enim docuit jurisconfultum vocari *cauponem*; nec fenfit, quatuor hominum generibus ubique memoratis, hoc uno loco certum hominem perftringi non posfe.

At iniquum & indignum eft, inquiet aliquis, juris & legum peritum vocari *perfidum cautorem*. Refponderi posfet, conplures esfe fcriptores, in his *Appulejum*, & *Ammianum Marcellinum*, qui mentionem de causfidicis parum honorificam faciant, atque adeo *Senecam*, qui diverfa hominum in urbibus viventium ftudia memoret, eos graviter perftringere H. F. v. 172.

Hic clamofi rabiofa fori
Jurgia vendens, inprobus iras,
Et verba locat.

Sed, ut liberaliter agam, jufta causfa non videtur, cur, quatuor hominum generibus ter memoratis, unus jurisconfultus uno loco poëtae judicio notatus esfe credatur. Statuant itaque juris & Criticae periti, quid tribuendum fit huic conjecturae:

Providus hic *cautor*.

Per, &, *pro*, *f*, &, *v*, faepe; *fides* autem, & *vides*, interdum permutantur. v. *Drakenborchius* ad *Sil.* III, 622. & *Marklandus* ad *Stat.* Sylv. I, 1, 65. Quam bene vero *cautor* appelletur *providus*, oftendit confuetudo fcriptorum, qui *providere* & *praecavere*, *cautos providosque*, & fimilia faepe conjungunt, & haec *Nafonis* Faft. II, 60.

Cavit *facrati* provida *cura Ducis.*

& ipfius *Horatii* Carm. III, v, 13.

Hoc caverat *mens* provida *Reguli.*

Serm.

Serm. II, v, 21.

tu protenus, unde
Divitias, aerisque ruam, *dic*, *augur*, acervos.

Interpretes veteres, & quidam novi *ruam* ſumunt pro, *eruam*. Sed quis unquam ſic uſurpavit *ruere divitias*, & *acervos aeris?* Aliis, *acervos ruere*, eſt, metiri, modio cumulos adaequare. v. *Cruquius*, *Pareus* in Lex. *Plaut.* v. Ruere, *Vosſius* in Etym. v. Rutrum, qui *Scaligerum* fere ſequuntur ad *Varron.* de L. L. IV. p. 58. Sed & huic ſimilem loquendi modum deſidero. Poëta quidem longisſime diverſo ſenſu dixit Epiſt. II, I, 47.

Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi.

Quid? quod, *unde*, &, *divitias*, huic ſententiae repugnant. Illud enim *Plauti* disſimile eſt Rud. II, VI, 57.

Illic esſe quaeſtum maximum meretricibus;
Ibi me corruere *posſe ajebas* divitias:

nam notat, congregare. v. *Turneb.* Adv. XVI, I. qui causſam ſignificationis expoſuit. Differunt itidem, *ruere*, &, *corruere*. Quapropter olim ſuſpicabar *Horatium* dedisſe:

tu protenus, unde
Divitias, aerisque ſtruam *dic*, *augur*, acervos.

Omnes enim norunt, quam trita ſint Latinorum ſermone, *ſtruere rem*, *opes*, *theſaurum*, *divitias*, *conſtruere*, & *exſtruere divitias.* v. *Petron.* cap. 84. de B. C. v. 85. *Pacat.* Paneg. cap. 26. Anth. Burm. p. 514. & *Douza* Comm. in *Horat.* cap. 5. Ipſe *Horatius* Carm. II, III, 19.

exſtructis in altum
Divitiis *potietur heres.*

Et Satyr. II, III, 96.

Divitiis *parent*, quas qui conſtruxerit.

ubi v. *Bentlejus.* Nec minus ſaepe dixerunt, *ſtruere*, *conſtruere*,

&

& *exſtruere acervum.* *Varro* de R. R. I, 33. *Cicero* ad *Att.* II, 2. *Tibullus* IV, I, 134. & *Pindarus*, quem vocant Thebanum, v. 401.

fugientibus ille
Inſtat, *&* exſtructos *morientum calcat* acervos:

ut olim pro, *exſtinctos*, emendabam conjecturam ſecutus ex *Ovidio* ductam Metam. v, 88.

Sternit, *&* exſtructos *morientum calcat* acervos:

ubi multi libri pariter habent, *exſtinctos:* deinceps autem vidi conjecturam MS. codicis auctoritate confirmari. *Burmannus* quidem, V. C. ad *Claud.* in Conſ. Prob. v. 110. & *Ovid.* in hujus poëtae verſu praetulit *adſtructos* ex tribus libris: ſed Latini ſermonis conſuetudine non probavit; *exſtructos* autem *Pindarus* probat. Ipſe *Horatius* Sat. I, I, 34. loco perappoſito:

Parvula [*nam exemplo eſt*] *magni formica laboris*
Ore trahit, *quodcunque poteſt*, *atque addit* acervo,
Quem ſtruit, *haud ignara & non incauta futuri.*

Eodem pertinent loca *Calpurnii* Ecl. v, 113. *Silii* x, 548. *Senecae* H. F. v. 1216. *Vitruvii* II, 8. & *Curtii* VIII, IV, II. Si quis erit, qui dicat in his locis non agi de pecuniis, ei ſatisfacere poterit *Cicero* Philipp. II, 38. *tanti* acervi nummorum *apud ipſum* conſtruuntur; & *Horatius* Sat. I, I, 44.

At, *ni id ſit*, *quid habet pulchri* conſtructus acervus:

quibus teſtimoniis jam *Bentlejus* uſus eſt ad Sat. II, III, 96. Illud autem praeclare noſtram correctionem confirmat, quod haec librariorum conſuetudo fuit, ut verba *ruere*, &, *ſtruere*, confunderent. v. varias lectiones appoſitas *Virgil.* Aen. IV, 429. *Lucret.* IV, 405. & *Ovid.* Faſt. IV, 554. Neminem vero movere debet, quod, *que*, ſic excipitur voce, cujus primae literae ſunt, *ſtr:* etenim *Flaccus* a ſimilibus non refugit Sat. I, III, 44.

Si quod ſit vitii, *non faſtidire:* ſtrabonem.

& v, 35.

*Linquimus, insani ridentes praemi*a scribae.

v. doctissimus *Lambinus* ad Sat. I, II, 30.

Epist. I, xv, 28. de Maenio:

Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Inpransus non qui civem dignosceret hoste;
Quaelibet in quemvis opprobria fingere *saevus.*

N. Heinsius pro, *fingere*, legendum suspicabatur, *stringere; Cuningamus* autem fidenter edidit, *figere.* Utrumque *Jonesius* hac nota condemnat: „ Nil opus est, ut legas *stringere; figere* autem est ex solo typographi errore. „ Vellem caussas attulisset. Mihi quidem parum placent conjecturae propterea, quod dubitari potest, an veteres dixerint, *opprobria stringere*, &, *figere in aliquem. Bentlejus* etiam censet *Heinsii* conjecturam non esse necessariam: pugnat autem pro recepta lectione *Tullii* & *Ammiani* testimoniis, qui dixere, *crimina in aliquem fingere.* Majoris ponderis fuisset hoc *Ovidii*, poëtam toties imitantis, Heroïd. XII, 177.

In faciem, mores*que meos nova* crimina fingis.

Sed haec non docent in usu fuisse, *opprobria in aliquem fingere.* Deinde scurrarum est non tam *fingere*, quam dicere *opprobria.* Quapropter in mentem venit suspicari poëtam scripsisse:

Quaelibet in quemvis opprobria fundere *saevus.*

Seneca Medea v. 114.

Festa dicax fundat convicia *Fescenninus.*

Ovidius, imitator *Horatii*, Metam. XIII, 306.

Neve in me *stolidae* convicia fundere *linguae*
Admiremur eum.

Tacitus Ann. VI, 42. *simul* probra in Artabanum fundebant; &, cujus auctoritate res conficitur, ipse *Flaccus* Epist. II, 1, 145.

Fescennina

Fescennina per hunc invecta licentia morem
Versibus alternis opprobria *rustica* fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam saevus *apertam*
In rabiem coepit verti jocus.

ubi *saevus* itidem *jocus* occurrit congruenter his verbis,

opprobria fundere saevus.

Voces autem permutari discimus ex *Latini Latinii* Biblioth. Tom. II. p. 63. ubi ad Prop. IV, II, 63.

potuisti fundere *in usus*,

notatur: al. *fingere.*

Carm. I, VII, 5.

Sunt, quibus unum opus est intactae Pallados arces
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam fronti *praeponere olivam.*

De versus ultimi lectione viri doctissimi inter se controversantur. *Erasmus* emendabat,

Undique decerptae frondi *praeponere olivam:*

in hanc autem opinionem Mss. libris repugnantem discessere *Lambinus*, *Marcilius*, *D. Heinsius*, *J. F. Gronovius* Syll. Epist. *Burm.* T. II. p. 554., *Dacierius*, alii. Sed eam rectissimis rationibus refellit *Bentlejus*, homo in primis acutus. „ Fatetur tamen *Gesnerus* se mal- „ le scripsisse, ut dedit *Erasmus*, quam, ut credere oportet libris, „ scripsisse *Horatium:* denique antiquam lectionem melius explica- „ tam fuisse a *Baxtero*. „ Nempe *Baxterus* explicabat: „ ubicun- „ que videt olivae folia, ea statim decerpit, & fronti suae praepo- „ nit; „ *Bentlejus* autem: „ ex eo argumento undiquaque exhausto „ coronam sibi poëticam quaerere. „ Et sane, licet Britannus Aristarchus clamet nihil in his esse, quod merito culpetur, aut morosissimi judicis acumen reformidet, tamen interpretatio talis

 est,

est, ut plane ferri nequeat. Nam quis illi concedet, *undique* notare posse, ex eo argumento undiquaque exhausto? quis *Horatianis* esse similia verba *Ciceronis: Ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes undique flosculos carpam ac delibem?* Si talis interpretandi licentia daretur, nihil in priscis scriptoribus obscurum maneret. Quid? an poëta, celebratis Athenis, oleae ramum undique decerperet, cum in arce olea manere diceretur ab ipsa Pallade producta? Haec autem ratio valet itidem contra *Baxteri* explicationem, quam *Gesnerus Bentlejanae* praeferebat. In alia omnia *Sanadonus* discessit corrigere conatus:

Carmine perpetuo celebrare, aut
Undique decerptam fronti praeponere olivam:

„ quae sic convertit: „ d'autres aiment a ceindre leur front „ de l'olive, qui immortalisa jadis tant de Héros aux jeux O„ lympiques, & que tant de Poëtes ont vantée. „ Sed, ut alia non insequar, olivae sic positae nullus locus est inter Athenas, Argos, Mycenas, & alias urbes ab *Horatio* memoratas. Ne multa: lux & salus poëtae reddi potest hoc modo:

Sunt, quibus unum opus est intactae Pallados arces
Carmine perpetuo celebrare,
Indeque *decerptam fronti praeponere olivam:*

hoc est, ex Athenis celebratis, quae sempiternam in arce oleam, ab ejus praeside editam, tenere putabantur,

decerptam fronti praeponere olivam.

Perappositi sunt *Lucretii* versus ab *Horatio*, si *Bentlejum* iis abusum sequimur, expressi I, 927. & IV, 3.

juvatque novos decerpere *flores*,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde *prius nulli velarunt* tempora *Musae.*

Pluribus verbis in re perspicua non utar. Creberrime autem voces, *inde*, &, *unde*, confunduntur. v. *Drakenborch.* ad *Liv.* XXXIX, XXXIII, 3. Haec confusio caussa corruptionis esse potuit,

tuit, praefertim in prima verfus litera. Forfitan & illud, *indeque*, librarios aut inperitos correctores fic offendit, ut pro eo, quod magis ufitatum esfet, *undique*, reponerent, *&*, adjecto, quod contextus carminis requireret. Ut ut eft, veteres poëtae copulam, *que*, bifyllabis junxerunt *e* brevi terminatis. *Tullius* in fecundo confulatus: (de Divin. I, 11.)

Menteque *divina coelum terrasque petesfit.*

Arat. Phaen. v. 204.

Ipfeque *caerulea contectus nube feretur.*

Virgilius Anth. *Burm.* p. 303.

Cuncta, *quibus gaudet Phoebi chorus*, ipfeque *Phoebus.*

Avienus Arat. Progn. v. 274.

Ipfeque *pone fequens radiorum luce carere.*

D. O. v. 63.

Vix evecta dies illuminat, omneque *late.*

v. 444.

Incola Taurisci Scytha litoris, indeque *rurfum.*

v. 480.

Tartesfusque fuper fuftollitur: indeque *Cempfi.*

v. 703.

Thresfaque confurgit propter Samus. indeque *rurfus.*

v. 822.

Vaftius eft Afiae diti caput, indeque *fenfim.*

v. 867.

Atque Oretarum propter genus: indeque *Achaei.*

Lucanus VI, 407.

hinc maxima ferpens
Defcendit Python, Cyrrhaeaque fluxit in antra:
Indeque *Thesfalicae veniunt ad Pythia laurus:*

ut quidem liber *Turrian.* exhibet: in aliis enim *Inde &*; in pervulgatis autem reperitur, *Unde &*. Trifyllabis itidem junxere. *Virgilius* Culice v. 304.

Quae Trojae videre viri, videreque *Graji.*

Manilius II, 479.

Cernere ut inter fe posfent, audireque *quaedam.*

Alia utriusque generis exempla ex *Tibulli* & *Propertii* carminibus adjungerem, nifi cuncta *Burmannus* V. C. pofuisfet ad *Lotich.* p. 301.

Haec fcripferam, cum, varias lectiones & doctorum conjecturas ab *J. Jonefio* notatas infpiciens, haec inveni: „ Carm. „ lib. I, VII, 6. omittitur &. 7. *Indeque decerptam, fronti, fonti.* „ Unde autem petita fint, penitus ignoro. Nam *Jonefius* plane fprevit, & *Erasmi* correctionem probavit: „ *Decerptae frondi*, ut „ fimplicior lectio mihi maxime arridet. *Decerptam fronti* videtur „ loco contraria. Num Latini dixerint, *fronti praeponere?* „ Carm. II, II, 8.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam fi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.

De verbis, *uterque Poenus*, magna doctorum disfenfione certatur. Sunt autem quinque, nifi quae me forte fugiunt, fententiae.

Prima eft *Reinefii* de Lingua Punica cap. II, 2. qui, vetera fcholia fecutus, „ Phoenicas Afiaticos, & Africanos „ intelligit.

Secunda *Turnebi* libr. XXX. Adv. cap. 5. qui vult *utrumque Poenum* fignificare Eoum & occiduum, qui fit Gaditanus.

Tertiam *Porphyrionis J. M. Gesnerus* fic ornavit: „ *uterque Poenus*

„ *Poenus* accuratius forte a *Porphyrione* declaratur, tum qui Carthaginem & Uticam habet in Africa, tum qui Gades condidit: „ ita erit epexegeſis jucunda & erudita. Coloniae Carthaginienſium aliae in Hiſpania non excluduntur. „

Quarta eſt *Acronis* & Scholiaſtae *Cruquii:* „ Aliter. *Uterque Poenus*, quia alia fuit Carthago, in Africa condita a Didone, alia in Hiſpania ab Asdrubale, quam Spartariam vocant. „ Hanc autem *Dacierius*, & alii ſequuntur: *Sanadonus* vero Carthaginem Poenorum vult intelligi, quae nunc dicatur *villa Franca de Panades* in Catalaunia. Sed Carthago Poenorum, quam *Plinius* III, IV. p. 141. memorat, eſt ipſa Carthago nova. v. *Cellar.* A. G. II, I, 103. Veteris autem Carthaginis unus meminit *Ptolemaeus* G. II, VI.

Quinta eſt eorum, qui de Poenis „ ab utraque freti Herculei parte habitantibus „ intelligunt. Hanc fecit *Abr. Ortelius* in Theſ. G. v. Baſtuli: probavit autem *Lud. Nonius* in Hiſp. cap. 8. Similis eſt fere ratio *Torrentii:* „ Tam is, qui in Africa, quam qui in Hiſpania eſt. Gaditana autem inſula interjacet: oppoſitae enim Africae regiones a Poenis olim occupatae; „ & *Glareani:* „ illud autem, *uterque Poenus*, de imperio intelligo Carthaginenſi & in Africa & in Hiſpania. „

Has ſententias conpluribus de causſis probare nequeo. Et contra eos quidem, qui de Phoenicibus & Poenis accipiunt, facit, quod nemo, quantum ſcio, repertus eſt, qui rectis rationibus oſtenderet, illos *Poenorum* nomine nuncupatos esſe. Non me fugiunt haec *Salmaſii* ad *Solin.* p. 936. „ Poeni origine ſunt Phoenices, ut ſatis omnes ſciunt. Graeci ſane veteres Φοινὲς etiam videntur vocasſe populos illos, qui aliis Φοίνικας. Nam idem prorſus Φοινὸς, & Φοίνιξ. —— Non dubium inde nomen invenisſe Φοίνικας, eosdemque antiquitus quoque appellatos Φοινὲς. Quod ſatis teſtantur in Africa Poeni, qui Phoenices fuere, id eſt, Φοινοί. „ Sed cum vir ſummus, & in Graecorum ſcriptis ſtudioſe & multum volutatus, opinionem nullis exemplis probare potuerit, ea quaerenti reperta non esſe patet.

Aperte tamen & ingenue confiteor tres me Romanos ſcriptores invenisſe, qui *Salmaſio* ſuffragari videantur.

Primus eſt *Cicero* de Republ. lib. 3. apud *Nonium Marcellum* p. 431. Poeni *primi mercaturis & mercibus ſuis avaritiam & magnificentiam*

ficentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum inportaverunt in Graeciam.

Alter *Manilius* 1, 306.

> *Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe,*
> *Quam spatio, tam luce minor: sed judice vincit*
> *Majorem Tyrio.* Poenis *haec certior auctor*
> *Non apparentem pelago quaerentibus oram.*

Aratus enim, quem poëtae sequi solent, Phaen. v. 39.

> Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.

& v. 44.

> Τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.

Sed dici posset poëtam nomina variasse, & pro Tyriis Carthaginienses, Cynosuram pariter sequentes, posuisse, praesertim cum nihil navigationibus horum nobilius esset. In *Ciceronis* autem loco *Phoenices* vulgo leguntur, quibus *Mercerus*, vestigia scripturae librorum MSS. *pione*, secutus, substituit *Poenos*, addens tamen: „ Potes etiam *Iones*, qui certe etiam Graeciam commercio corruperunt. „

Tertius est *Plinius* H. N. VII, (56) 57. *vehiculum cum quatuor rotis* [*invenere*] *Phryges: Mercaturas* Poeni: nam *Scheffero* de Milit. Nav. I, 1. p. 10. & *Huëtio* Hist. Comm. & Nav. Vet. cap. 8. & 15. *Poeni* sunt Phoenices, de quibus *Dionysius* Perieg. v. 907.

> Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
> Πρῶτοι δ' ἐμποϱίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

„ Sed vim, inquit *Harduinus*, afferunt orationi *Plinianae*, in qua de terrestribus tantum inventis nunc agitur, publicisque & longinquis per vehicula, de quibus proxime dictum est, mercaturis. „ Deinde *Plinius* V, (12) 13. haec inventa Phoenicum memorat: *Ipsa gens Phoenicum in magna gloria literarum inventionis, & siderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Postremo, quod est maximi ponderis, nunquam *Phoenicas* vocat *Poenos*, sed distinguit, ut hoc ipso cap. 56. [*invenere*] *mercaturas* Poeni. [*invenisse dicunt*]

cunt] Phoenicas *baliſtam & fundam. Onerarias Hippus Tyrius invenit*, *lembum Cyrenenſes*, *cymbam* Phoenices: *ſiderum obſervationem in navigando* Phoenices: & III, 111. *In univerſam Hispaniam M. Varro pervenisſe Iberos*, *& Perſas*, *&* Phoenicas, *Celtasque &* Poenos *tradit*.

Cum conſtet igitur neminem perſpicuis exemplis probasſe, Phoenicas a Romanis ſcriptoribus uspïam *Poenos* esſe dictos, atque adeo *Poenos* ab illis diſtingui, quivis videt, quid tribuendum ſit eorum ſententiae, qui difficilia Venuſini poëtae, Phoenicas nunquam *Poenos* vocantis, verba de Phoenicibus, & Carthaginienſibus, interpretantur.

A *Gesnero* V. C. faciunt haec *Horatii* loca Carm. III, XVI, 29.

Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam:
Quam ſi Mygdoniis regnum Alyatteï
Campis continuem.

& Epiſt. II, 11, 171.

Quid vici proſunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani?

Nam vicinas regiones in his ſimiliter conjungi videmus. Faciunt item, qui Citiaeos, atque adeo Gaditanos, ex Phoenicia profectos, Poenorum nomine nuncupant. *Cicero* de Fin. B. & M. IV, 20. *Tuus ille* Poenulus (*ſcis enim* Citiaeos, *clientes tuos*, e Phoenicia profectos). Sic enim correxere, pro, *Zenulus*. *Livius* XXVIII, 37. de Gaditanis: *Suffetes eorum*, *qui ſummus eſt* Poenis *magiſtratus*. *Cicero* pro *Balbo* cap. 14. *Ignosco tibi*, *ſi neque* Poenorum *jura calles*; id eſt, Gaditanorum. v. Interpretes, & *Huëtius* Hiſt. Comm. & Navig. Vet. cap. 15. qui dubitat, utrum de Phoenicibus, an Gaditanis *Horatius* ſit locutus. Erunt etiam fortasſe, qui ſic interpretentur *Avienum* D. O. v. 615.

Barbara quin etiam Gades *hanc lingua frequentat*:
Poenus *quippe locum* Gadir *vocat undique ſeptum*
Aggere praeducto.

& O. M. v. 267.

Gadir *hic est oppidum:*
Nam Punicorum *lingua conseptum locum*
Gadir *vocabat;*

& *Solinum* cap. 23. Poeni *lingua sua* Gaddir, *id est*, *sepem nominarunt;* & *Plinium* N. H. IV, (22) 36. *nostri Tartesson appellant*, Poeni Gadir, *ita* Punica *lingua sepem significante.*

Sed non probabile est ob unas Gades a Tyriis conditas *Horatium* dixisse,

& uterque Poenus
Serviat uni.

Haec autem ratio valet etiam contra *Turnebum;* valet itidem contra quartae sententiae patronos, qui de utroque Carthaginiensi verba malunt accipere. Addit quidem *Gesnerus*, „ alias Carthaginiensium colonias in Hispania non excludi: „ verum, si intelligendi, qui Gades condidere; *Poeni*, qui Carthaginem & Uticam in Africa habent; & coloniae Carthaginiensium in Hispania, non video, qui in hos convenire possit;

uterque Poenus
Serviat uni.

Ab iis, qui Poenos, eorumque colonias in Hispaniam, maxime Baeticam, deductas intelligunt, stare dixeris cum alios scriptores, tum *Senecam* de Conf. ad *Helv.* cap. 6. *Tyrii Africam incolunt:* Poeni Hispaniam; & praesertim *Plinium* III, (1) 3. *Oram eam universam originis* Poenorum *existimavit M. Agrippa.* Sed, ne plura, & hanc & caeteras interpretationes penitus evertit insolentia locutionis. In antiquis monumentis *utrique*, & *bini Aethiopes*, *utraque Armenia*, *utraeque Frisiorum nationes*, *uterque Maurus*, *utraque Phrygia*, & Φρύγες ἀμφότεροι, occurrunt. At quis unquam incidit in Φοίνικες ἀμφοτέρους, *utrosque Poenos*, *utrumque Poenum*? Quid? ne quidem dici potest *uterque Poenus. Uterque Maurus*, Φρύγες ἀμφότεροι, & *utraeque Frisiorum nationes* dicuntur, quia duplex erat Mauritania, duplex item Phrygia, major & minor, & Frisii majores & minores: verum quis duas Poenorum regiones sic memoravit,

ravit, ut una major, altera minor appellaretur, aut alia ratione diſtinguerentur.

Cum itaque vulgata lectio tantum difficultatis habeat, & interpretes, maxime veteres, adeo fluctuent, ut nonnulli plures, easque contrarias & inter ſe pugnantes opiniones conjungant, probarem magis,

Uterque pontus
Serviat uni.

Ad hoc autem conjectura raptus ſum, cum verſus *Horatianos* memoriter aliquando recitans, ipſa ſententia duce, non aliter pronunciarem. Sic vero poëtae quaſi ex formula loquuntur. *Avienus* Phaen. v. 1078.

Oceano *ſtellae circumvolventur* utroque.

Seneca H. Oet. v. 1838.

quaque purpureus dies
Utrumque *clara ſpectat* Oceanum *face.*

& v. 1902.

Audiat ictus utraque Tethys.

Virgilius in Culice v. 102.

Qua jacit Oceanum *flammas in* utrumque *rapaces.*

& Aen. VII, 100.

qua Sol utrumque *recurrens*
Adſpicit Oceanum.

Ovidius A. A. I, 173.

Nempe ab utroque mari *juvenes*, *ab* utroque *puellae*
Venere; atque ingens orbis in urbe fuit.

Catullus Carm. XXXI, 1.

Peninſularum, *Sirmio*, *inſularumque*

Ocelle, quascunque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus:

ubi, *Neptunus uterque*, non eſt *marinus* & *paluſtris*, ut *Vulpius* interpretatur, ſed *Eous* & *Heſperius*, uti recte *Pasſeratius* ad *Propert.* III, 9. p. 461. Nec aliter accipio verba *Naſonis*, quia ſequitur:

atque ingens orbis *in urbe fuit.*

Adde, quod perſpicuis exemplis *Senecae*, & *Maronis* ad eam interpretationem ducimur. Sed haec hactenus. Inprimis autem correctionem firmat *Claudianus*, qui totum *Flacci* locum imitatione exprimens ſe, *pontus*, in ſuis libris inveniſſe oſtendit, in Ruf. I, 196.

Quo, veſane, ruis? teneas utrumque *licebit*
Oceanum, *laxet rutilos tibi Lydia fontes,*
Jungantur ſolium Cyri, *Croeſique tiaras:*
Nunquam dives eris, nunquam ſatiabere quaeſtu.
Semper inops, quicunque cupit.

ubi, ne forte dubites, an ſcribenti carmen hoc in oculis, animoque verſatum ſit, vides verbum, *jungantur*, ex eodem ſumtum, *Libyam remotis Gadibus* jungas, &, *Cyri ſolium*, petitum ex v. 17.

Redditum Cyri ſolio *Phraaten:*

illos enim ſequor, qui lectionem MSS.

ſolium Cyri, Croeſi*que tiaras*,

praeferunt vulgatae,

ſolium Croeſi, Cyri*que tiaras:*

quam Venuſini vatis imitatio refutat. Accedit eodem *Naſonis*, eundem toties imitati, perappoſitus ad probandum locus Metam. XV, 829.

Quid tibi barbariae gentes ab utroque *jacentes*
Oceano *numerem? quodcunque habitabile tellus*
Suſtinet, hujus erit. pontus *quoque* ſerviet illi.

Praeterea

Praeterea *Withofius* Praemet. Crit. p. 182. similiter curavit *Ovidium* Trist. III, XII, 51. pro,

> *Hei mihi! jamne domus Scythico Nasonis in orbe?*
> *Jamque* suum *mihi* dat *pro lare* Poena locum?

restituens,

> *Jamque* tuum *mihi* das *pro lare*, Ponte, solum?

Idemque, sub nomine *Claudii Civilis* latens, Observ. Misc. Nov. T. 1. p. 136. vitiosissimum ejusdem poëtae versum (V, v, 31.)

> Consilium *fugiunt* caetera pene meum,

sic emendavit:

> Consilio *fugiunt* aethera, Ponte, tuum:

quae correctiones palmares, & oraculis Apollinis Pythii certiores ad nostram confirmandam non parum adjuvant. Librarii voces itidem confuderunt in *Lucano* x, 475. ubi pro,

> *non* Pontus *&* *inpia signa*
> *Pharnacis*,

liber *Richel.* habet, *Poeni*, id est, *Poenus.* Omittimus enim, quod in *Horatii* Carm. III, XXIV, 4. pro,

> *Tyrrhenum omne tuis & mare* Apulicum,

Acron & quidam codices substituunt, *Ponticum*; alii, *Punicum*.



* *

CAPVT V.

Merita Broekhusii in Propertium. Ejusdem negligentia in variis editorum & scriptorum librorum lectionibus, conjecturisque & correctionibus Criticorum & Interpretum, ut Livineji & Passeratii, notandis. Aliorum inventa sibi tribuit. Vastae ferae. Broekhusius incertas & pravas multorum conjecturas in carminum Propertii contextum recepit. Indicantur vulgatae lectiones, quarum patrocinium Ti. Hemsterhusius suscepit. Broekhusius itidem pravas versuum trajectiones, a Scaligero factas, admisit. Disquisitio de trajectionibus. Conplura Propertii carmina non cohaerent. De Vulpii, Auctoris Electorum Etonensium, N. Heinsii, Dorvilii, & Hemsterhusii meritis in poëtam. Ejus liber primus aliquot locis emendatus. Ferrum & ignes pati. Adspice, ut veniant. Collustrare. Poëtae ab oratione, quae aliunde pendet, ad absolutam transeunt. Meae sentire furores. Mea, tua. Rhythmus, N. t. Tyrrhena s. f. arena, non mutandus. Hercules ab Oetacis rogis Hebe gavisus est. Statius imitatur Propertium. Duo Propertii versus trajecti. Non sic, nec sic, in oppositionibus conjungi solent. Scriptores, verbis ex uno versu in alterum trajectis, interdum commode sanantur. Teneri cortices. Versus Flori leviter curatus. Magni Camilli. Monitus fulminum. Motus pennarum in aëre errantium. Lucanus imitatur Virgilium, versusque dimidios ab eo sumit.

EX quo tempore *Propertius*, qui per multa secula latuerat, lucem vidit (vidit autem anno 1472.) bene de eo meriti sunt *Volscus*, *Beroaldus*, *Muretus*, *Canterus*, *Douzae*, *Livinejus*, *Scaliger*, *Passeratius*, *Gebhardus*, & *Broekhusius*, qui pereruditis, & singulari lepore & festivitate conditis observationibus illustratum edidit. In iis enim vatis, cujus a teneris potissimum similis esse voluerat, reconditos sensus eruit; artificium carminis monstravit; imitandi vias, exemplorum copia de poëticis thesauris depromta, tradidit; & veteres & novos scriptores conparavit: deinde multorum pravas aut intempestivas correctiones refutavit; bonas autem rationibus firmavit & probavit: denique librorum scriptorum, quibus abundabat, auxilio saepe graviter laborantem poëtam restituit; interdum solius ingenii viribus leviter aegrotantem leviter curavit. Quibus

Quibus meritis consecutus est, ut restitutor *Propertii* putetur, & observationes ab hominibus politis & elegantibus libentissime legantur, & honorifice praedicentur.

Non pauca tamen in laudato viro desideramus. Primum varias lectiones, quas in editis & scriptis libris invenit, negligenter annotavit; negligentius autem conjecturas & emendationes Criticorum, atque adeo vatis interpretum. Ne videatur hoc incredibile, supponemus exempla. *Joannes Livinejus* in notis, quas inchoatas reliquit, a *Gebhardo* demum vulgatas a. 1621., lib. I. Eleg. 11, 29. legit:

Unica nec desit jucundis gratia dictis,
Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probet.

IV, 13.

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quae
Gaudia sub tacita ducere veste licet:

VIII, 13.

Ut *me defixum vacua patiaris in ora.*

ibid. v. 19.

Et *te felici* ——————

II, 1, 3.

Non haec Calliope, non haec mihi dictat *Apollo:*

cui correctioni robur addunt *Boëthius* de Conf. Phil. I. M. 1, 3.

Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae,

& ipse *Propertius* IV, 1, 133. atque adeo liber Palatinus, unde depromtam probat *Heins.* in Not. p. 677.

II, 58.

& incedit vel Jove digna soror.
Ut *cum Munychias Pallas spatiatur ad aras.*

XIX,

XIX, 15.

Qui nunc in tantum *jactando venit honorem:*

quod & *Guyeto* placebat.

III, II, 35.

Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat; at *illa manu texit utraque rosam:*

quod in mentem quoque *Marklando* venit ad *Stat.* Sylv. IV, VI, 57. atque adeo reperitur in libris V. & *Voss.*

III, 21.

Pacis Amor Deus est; pacem veneramur amantes:
Sat *mihi cum domina praelia dura mea:*

quam correctionem lectoribus itidem proposuit ad Paneg. VII. p. 340.

V, 7.

Nam, dum te sequitur, primo miser occidit *aevo.*

ib. v. 41. *Boschi* memorat emendationem, quam suam fecit *Heinsius* Adverf. p. 88:

Ite, rates curvas *leti* contexite caussas.

VI, 9. legit, *Heinsio* probante:

Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
Haec *Veneris magnae volvitur ante pedes.*

IX, 46.

Jura dare, & statuas inter & arma Marî:

quo remedio Criticus laudatus itidem laboranti poëtae subveniendum putabat.

XVI, 25.

Ille,

Ille, licet ferro cautus se condat & aere;
Mors tamen inclusum protrahet *inde caput.*

IV, I, 73.

Quo ruis inprudens? fuge *dicere facta, Properti?*

III, 13.

Quae mihi deductae fax lumen *praetulit, illa*
Traxit ab everso lumina nigra rogo.

VI, 71.

Candida nunc molli subeant convivia ludo:

quod probavit *Heinsius*, qui *Guyetum* pariter emendasse notavit.

ib. v. 79. corrigit:

Hic referat sero confectum *foedere Parthum:*

quod nec *Heinsium* fugit.

X, 19.

Idem eques & frenis, idem et *fuit aptus aratris:*

quod & *Guyetus* adscripserat.

XI, 49.

Quamlibet *austeras de me ferat urna tabellas:*

quae venusta conjectura firmatur excerptis Italicis, & *Guyeti*, *Heinsii*que consensu. v. Not. p. 760. Adverf. p. 32. & Syll. *Burm.* T. IV. p. 227. ubi *Graevius* eandem valde laudat ab *Heinsio* suo repertam ratus. Idem *Livinejus* monet Eleg. XVIII. lib. II. optime cohaerere cum superiore; & lib. III. Eleg. VI. versus valde perturbatos in ordinem redigit.

Omnes hasce correctiones, quarum pleraeque magnis itidem Criticis in mentem venere, *Broekhusius* neglexit; qui frequenter ejusdem bene inventa partim libris, partim aliis, qui postea poëtae

manus admovere, tribuit. Etenim *Miraeus* in Elogiis refert notas ab adolescente scriptas esse, priusquam *Scaligeri* Castigationes & *Passeratii* Praelectiones lucem vidissent: quod ipsius verbis confirmatur ad Paneg. VII. p. 340. ,, memini equidem, (quod nunc commodum mihi venit in mentem) observare etiam tum puer in *Propertio* emendandum videri. —— ,, *Scaligeri* quidem mentio fit p. 51, 55, 58, 131, 178. sed haec notis jam scriptis adjici potuit.

Passeratius item, qui bonis libris usus est, ad lib. IV. Eleg. II, 1. diversam lectionem memorat:

> Qui *mirare meas tot in uno corpore formas,*
> *Accipe Vertumni signa paterna Dei:*

quam merito *Guyetus* & *Heinsius* approbarunt; & ad III, 49.

> *Omnis amor magnus, sed in* apto *conjuge major.*

ib. v. 75. rogat, an legendum?

> *Cumque super* sacros *foeni flammantis acervos*
> *Trajicit immundos ebria turba pedes:*

quam correctionem *Guyetus* item libro adscripserat.

ib. v. 93. emendat:

> *A duce* Tarpeja *mons est cognomen adeptus.*

Idem *Guyeto* visum. Nec dubitari potest, quin vulgatae lectioni, *Tarpejo*, praestet. *Bassianus* autem, plaudente *Vulpio*, corrigit, *A nece Tarpejae.*

VII, 69. rogat, an legendum?

> *Qua numerosa fides, atque* aera recurva *Cybebes.*

Heinsio placebant *aera incurva* Advers. p. 23.

VIII, 9. ex vet. libro profert:

> *Turpis* Aricina *sonuit cum rixa taberna.*

& v. 69.

Lygdamus

Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur:

quam pulcerrimam lectionem *N. Heinsius* auctoritate suorum librorum confirmavit p. 25.

Nihil tamen horum invenias apud *Broekhusium.* Paris autem negligentiae exempla praelectiones in priores libros passim suppeditant; suppeditant item rudes *Guyeti* notae, in quibus tamen gemmae latent, quarum nitor oculos *Heinsii* traxit.

Incredibilis vero negligentia non pauca dedit incommoda. Hinc enim factum est, ut interdum sibi correctiones aliorum tribueret, ut hanc *Livineji* III, IX, 46.

Jura dare et *statuas inter & arma Marî;*

& hanc *Palmerii* III, XV, 2.

Da mihi bacchato *vela secunda pater;*

quam vir doctissimus ex codice *Posthii* protulit in Spicil. p. 186. Alias nunc omitto v. gr, I, VIII, 9. Et *te felici*; & XX, 51. *monitus*, quas *Vlamingius* ex schedis addidit. Hinc interdum quoque loca ab aliis feliciter correcta corrupit, ut IV, IX, 40.

Quis facta Herculeae non audit fortia clavae,
Et nunquam ad natas *irrita tela feras:*

etenim fidenter in contextu posuit *notas feras.* Atqui nihil certius est *Passeratii* conjectura:

Et nunquam ad vastas *irrita tela feras.*

Hanc firmat *Ovidius* Metam. 11, 194.

Vastarum*que videt trepidus simulacra* ferarum;

exhibent autem duo *Vossii* codices, ex quorum altero *N. Heinsius* Adverf. p. 27. protulit ipse tamen inportune conatus emendare, *stratas* feras, & *Comel.* membranae, quas toties memorat *Broekhusius*, unde Auctor Elect. Eton. Maj. p. 173. in contextum bono judicio recepit. Erroris caussa, quod librarii lineolam supra vocem, *vatas*, duxerunt, unde, *vatas*, quod habet Neap. codex apud *Heinsium*, &, *natas*, profluxere.

Porro vir eximius in eo reprehendendus eſt, quod incertas & pravas correctiones in *Propertianorum* verſuum contextum confidenter intulit. Hujus autem generis multa ſunt exempla. Pauca dedit *Ti. Hemſterhuſius* in Obſervatis in poëta, misſis ad *Vlamingium*, cum *Broekhuſianam* editionem repetere pararet, in quibus id in primis egit, ut antiquas lectiones, a *Broekhuſio* ſine juſta causſa rejectas, defenderet. Defendit autem vir magnus I, I, 12.

Ibat & hirſutas ille videre *feras*.

ib. v. 31.

Vos remanete, *quibus facili Deus annuit* aure.

III, 43.

Interdum *graviter mecum deſerta querebar*.

v. 46.

Illa fuit lacrymis ultima cura *meis*.

VI, 20.

Et vetera oblitis jura refer ſociis.

VII, I.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, *Pontice*, *Thebae*.

VIII, 7.

Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas.

XII, 9.

Invidiae fuimus. num *me Deus obruit ?* an *quae* caet.

XV, 21.

Conjugis Euadne miſeros *elata per ignes*.

v. 26.

Oblitos parce movere *Deos*.

XVIII, 32.

Sed qualiscunque es, reſonent *mihi*, *Cynthia*, *ſylvae*,
Nec deſerta tuo nomine ſaxa vacent.

XIX, 19.

Quae tu viva *mea posſis ſentire favilla*.

XX, 44.

xx, 44.

Innixus dextro *plena trahens humero.*

II, II, 49.

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamus, *belli caussa probanda fuit.*

VI, II.

Ah mea tum quales caneret *tibi*, Cynthia, *somnos*
Tibia, funesta tristior illa tuba!

x, 17.

Quandocunque igitur nostros mors *claudet ocellos.*

XIII, 49.

Vidistin' toto *sonitus* percurrere *coelo?*

[IV, VIII, 85.

Inperat & totas *iterum mutare lacernas.*]

ib. v. 50.

Fulminaque aetherea desiluisse *domo.*

xv, 21.

Non tamen ut vastos ausim tentare *leones.*

ib. 24.

Stricto *figere avem calamo.*

XVIII, 59.

pavonis caudae flabella superbae.

XIX, 55.

Sed tamen obsistam: *teritur rubigine mucro.*

XXIII, 3.

Tota erat in speciem *Poenis digesta columnis.*

Nec dubitari potest, quin pleraeque defensiones sint justae. Idem jure rejicit *caneret* II, XIV, 7. *sublimine* XIX, 57. & durissimam, quam *Broekhusius* in contextum recepit, *Scaligeri* conjecturam II, 31.

Carminaque aequaevis *non putat* esse *suis*;

probat autem pulcherrimam *Volsci* restitutionem, a multis editam,

Carminaque Erinnes *non putat aequa ſuis.*

conf. *Jac. Wallius*, poëta propter ſingulares virtutes, & Latini ſermonis elegantiam legi dignisſimus, ad Lyric. II, 11. Correctionem vero *Livineji* & *Scaligeri* II, VI, 15.

Quod ſi Romanae *comitarent caſtra puellae*,

praefert *Heinſianae*, quam *Broekhuſius* recepit. Probat item, cuſtodum *timore*, XVIII, 70; & elegantisſimam *Lipſii* conjecturam XXII, 36.

Signa volutantes *nec jacuisſe duos.*

Nam politisſimi *Rutgerſii* emendationem, quam divinam vocat, I, XXI, 48.

Tum ſonitum rapto corpore fecit : HYLA
Cui procul Alcides iterat ; responſa ſed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.,

minime felicem esſe docuit *Dorvilius* Obſ. Miſcell. Vol. I. p. 134.
Maxime vero deliquit *Broekhuſius*, quod, ne monito quidem lectore, cunctas *Scaligeri* trajectiones in contextu retinuit. Nempe *Scaliger*, cum primus vidisſet, ut de ſe p. 191. praedicat, „ in ſecundo & tertio libro integras paginas & magnum numerum verſuum loco „ luxata, „ licere ſibi credidit, verſus nonnullos in alia loca transferre, atque ex membris pasſim disjectis novas Elegias conponere. Sed hanc licentiam Critici omnes uno ore damnarunt, in his *Ti. Hemſterhuſius*, cujus hoc eſt gravisſimum judicium ad II, XIX: „ In hac autem Elegia conſtituenda, quod Principi Viro „ ſollenne eſt, mirifice ſibi indulſit *Scaliger*, & ante disjuncta, „ ordine ſatis imperioſe mutato, conjungere non veritus eſt: ego, „ tametſi laceras pluribus in locis & male cohaerentes *Propertii* „ reliquias ad nos pervenisſe non diſſiteor, huic tamen praecipiti „ conſilio ſuffragari nequeo, nec dubito, quin, ſi vir maximus „ longius ad deliberandum ſpatium ſumſisſet, (nam ſe ne menſem quidem integrum in hoſce tres poëtas inpendisſe nobis im- „ putat) plurima multo aliter digesſisſet. „ Mihi quidem permultae

tae verſuum trajectiones ab eo factae videntur damnandae, propterea quod iis admisſis series rerum ſententiarumque plane perturbatur, ut lib. II. Eleg. XIX, & XXIII. cui ſimile carmen ſi quis nunc ſcriberet, ſenſu communi carere diceretur. Jure igitur *Vulpius* in novisſima poëtae editione, ut ante in *Tibulli*, trajectiones *Scaligeri* non exhibuit. Vellem tamen modum ſervasſet in eo vellicando, nec trajectiones flagitia vocasſet ad II, I, 48. Peccavit, fateor, quod incertas & perſpicue falſas trajectiones in contextu fidenter exhibuit: ſed idem ſatis digne laudari non poteſt, quod hac arte toties ſalutem poëtae dedit. In pervulgatis enim ſcriptisque libris pasſim reperias elegiarum membra confuſe & permixte diſperſa, ut II, II, I.

Liber eram, & vacuo meditabar vivere lecto:
At me compoſita pace fefellit Amor.
[Cur haec in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro priſtina furta tua.
Fulva coma eſt.

III, 41.

Si quis vult fama tabulas anteire vetuſtas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, ſive illam oſtendet Eöis,
Uret & Eöos, uret & Hesperios.
[His ſaltem ut tenear jam finibus: aut mihi ſi quis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor.]
[Ac veluti primo taurus detrectat aratra.]

VI, I.

Non ita complebant Ephyreae Laïdos aedes.

Quin etiam falſos fingis tibi ſaepe propinquos,
Oſcula ne deſint, qui tibi jure ferant.
Me juvenum pictae facies, me nomina laedunt.
Omnia me laedunt. timidus ſum. ignosce timori,
Et miſer in tunica ſuspicor esſe virum.
[His olim, ut fama eſt, vitiis ad praelia ventum eſt:
His Trojana vides funera principiis.

Aspe-

Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas:
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.]
Felix Admeti conjux, & lectus Ulyxis,
Et quaecunque viri femina limen amat.

Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
[Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper & uxor eris.]

VIII, 15.

Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?
[Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere. interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & umbras.

ib. v. 25.

Sed non effugies. mecum morieris. oportet
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Qamvis ista mihi mors est inhonesta futura,
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
[Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.]

IX, 33.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes;
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto;
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.
[Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela, precor, pueri promite acuta magis.

Figite

Figite certantes, atque hanc mihi ſolvite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sidera ſunt teſtes, & matutina pruina,
Et furtim miſero janua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius unquam.
Nunc quoque eris, quamvis ſis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet veſtigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet eſſe tuum.
Atque utinam, ſi forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.
[*Non ob regna magis diris cecidere ſub armis*
Thebani, media non ſine matre, duces;
Quam mihi ſi media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte ſubire tua.]

Plura taedet deſcribere vulgari poëta, nedum *Propertio* penitus indigna. Haec tamen & alia multa generis ejusdem *Vulpius* defendit, & laborat, ut aptisſime cohaerere videantur. Dum autem id agit, tandem delabitur, ut „ elegiacorum poëtarum veram & propriam „ μέθοδον eſſe pronunciet ἀμεθοδείαν „ ad II, III, 45. Tantum opinio praejudicata poteſt! Ego vero mirari ſatis nequeo, cur hanc veram ſcribendi rationem ſemper *Ovidius* ſpreverit, atque adeo *Propertius* in Elegiis non corruptis.

Caetera *Broekhuſii* peccata nunc omitto, ne cupidius eximium virum reprehendiſſe videar. Nam ſatis abundanter, ut puto, demonſtravi, quam multa in ejus *Propertio* jure deſiderentur.

Broekhuſio ſucceſſit *Io. Antonius Vulpius*, poëta clarisſimus, idemque Venerum *Propertianarum* ſcientisſimus, qui ſcriptorem Patavii bis edidit, primum a. 1710. cum *Catullo*, *Tibullo*que, deinde ſeparatim 1755. 2 vol. 4. In hac editione, quae *Paſſeratii* & *Broekhuſii* commentarios immutatos & interpolatos, variasque lectiones ex duobus mſſ. codicibus excerptas, & Indicem verborum loquendique generum non inutilem exhibet, id egiſſe ſe profitetur, ut obſcura & ignota pateſaceret atque illuſtraret, & continuationem ſententiarum oſtenderet. Et ille quidem multis locis veram ſui poëtae mentem explicavit: ſed ſaepe longisſime aberravit, etiam cum glorioſe ſe jactaret, ut p. 495. in connectendis autem, quae disſipata,

pata, plerumque & oleum & operam perdidit. Nec felicius cessit conatus corruptissima quaeque defendendi. Quamvis vero vehementer Criticorum audaciam insectetur, & ad I, xx, 44. p. 143. nihil mutandum esse pronunciet in scriptis antiquorum, libris non addicentibus: saepe tamen *Scaligeri*, *Broekhusii*, & aliorum correctiones perspicue falsas, & ne quidem Latinas recepit. Omitto virum politissimum penitus ignorasse, quid *Heinsius*, *Dorvilius*, *Marklandus*, aliique praestiterint: quia queritur, „ejusmodi transalpinas „ merces in Italiam perraro advehi.„

Nonnulla itidem *Propertii* carmina vir doctus, cujus nomen latet, notis minime spernendis illustravit in Electis Minoribus, & Majoribus ex *Ovidio*, *Tibullo*, & *Propertio*, quae variis annis in usum scholae *Etonensis* vulgavit: sed, qualis Criticus fuerit, & quam tritas aures habuerit notandis optimorum poëtarum elegantiis, ostendit, cum profiteretur sibi non displicere IV, vi, 63.

E'dra *Philetaeis certet Romana corymbis*:

ut in *Ovidii* Nuce v. 95.

Lamina mollis adhuc tenero dum lactet in u'tro;

& conaretur corrigere 1, 26.

Unde Lycêa Fabî *sacra* Lupercal habent;

v. 40.

O quali vecta est Dardana pubis *avi!*

v. 53.

Ilias urna

Vivet;

& III, vii, 44.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, dive Phileta, *tuis.*

Praeterea *N. Heinsius*, felicissimus Latinorum poëtarum restitutor, in

in Adverſariis Notisque adjectis, & iis, quibus caeteros ſcriptores illuſtravit, plura loca fere correxit, quam plerique omnes ſimul editores. Dicat aliquis non paucas correctiones magis ingenioſas, quam veras videri; multasque in Notis exhibitas, perſpicue falſas esſe: ego miror in rudi & indigeſta correctionum, diverſisſimis temporibus in uſus privatos factarum, mole non plures hujus generis inveniri. Non paucas tamen, quae vel incertae vel falſae primo videbantur, deinde dignas eſſe judicavi, quarum ratio haberetur.

Laudem quoque meretur *Jac. Phil. Dorvilius*, vir longe eruditisſimus, idemque felicisſimus Umbri vatis imitator, cujus adnotationes per Obſervationes Miscellaneas disperſae ſunt: paucisſimis tamen vulneribus adhibuit remedia.

Plura ſanavit *Ti. Hemſterhuſius*, qui non ſolum in Graecis principatum tenuit, ſed & Latina feliciter attigit. Hujus autem correctiones, Obſerv. 1, 3. p. 29. laudatas, noſtris inſeram.

Praeter hos alii non pauci fuere, qui in libellis Criticis, & obſervationibus in antiquos ſcriptores quaedam menda tollerent: verum ſic quoque multa vel potius innumera reperias, quae correctionis indigeant, atque adeo non integras Elegias, ſed partes confuſe permiſteque disperſas. Nec magnopere miror. Omnes enim ſcripti libri recentes ſunt, & ex uno ducti, quem pesſime habitum fuiſſe conſtat. Audiamus *Act. Sync. Sannazarium* apud *Alex. ab Alex.* G. D. II, 1: „ Jovianus Pontanus, vir multae eruditionis, antiquisſimo firmabat teſtimonio, Propertii Elegias patrum noſtrorum aetate, & ſe adoleſcentulo primum in lucem prodiiſſe, cum antea inſcitia temporum incomptae forent & incognitae; opusque obliteratum, & longisſimo aevo abſumtum, corroſis & labentibus literis in cella vinaria ſub doliis inventum apparuiſſe, & cum libelli vetuſtate verbis & nominibus abſumtis longo ſitu & ſenio, quod in diuturna obſcuritate latuerat, veram lectionem aſſequi nequirent, effectum, ut mendoſi inde codices prodirent; paulatimque discuti errores, & corrigi coepti ſunt: nec tamen effici quiſſe, ut poſteris omnino integri inoffenſique darentur. „ Utinam tamen editores in variis lectionibus ſuorum librorum memorandis diligentiores fuiſſent, atque adeo liber, in cella vinaria repertus, auro contra non carus, indagari & e tenebris erui poſſet! Ex iis enim, quos verſavi, patuit non paucas fuiſſe neglectas: unicus autem codex inſpectus cum varias

de variis lectionibus controversias tolleret, tum certas vias monstraret ad versuum paginarumque transpositiones rite cognoscendas. Interea bonis concessis utemur, & pro virili succurremus scriptori, quem novi poëtae maxime nunc mirantur & imitantur, quemque „ integrum & emendatum legi reipublicae literariae interesse „ *Scaliger* olim judicabat.

I, 1, 25.

Et *vos*, *qui sero lapsum revocatis*, *amici.*

Mihi legendum videtur,

Aut *vos*, *qui sero &c.*

Jubet, ut ego quidem arbitror, sententiae justo ordine decurrentis nexus: attende enim: *In me tardus amor non ullas cogitat artes &c. At vos*, magae, *dominae mentem convertite nostrae &c.* Aut *vos*, amici, *quaerite non sani pectoris auxilia:* ego fortiter instrumenta exscindendo & exurendo amori admota perpetiar, modo libertas sit in Cynthiam duram & ingratam egerendi, quae ira mihi amatori spreto ac repulso subministraverit. Sensum ut uberius explicarem Interpretes fecerunt, quorum fere, qui hunc attigerunt locum, nemo est, quin aliqua in parte peccaverit: nam *Barth.* Advers. III, c. 14. e nescio quibus antiquis editionibus restituentem, *quae velit* illa, & absurdissime interpretantem prudens praetereo. Ceterum *velit*, an *volet* legas, cicco non redemerim. *Ferrum* & *ignes* medicorum, quibus malum penitus insidens & sanas partes noxia contagione trahens exstirpent atque exurant: *Iambl.* V. P. s. 34. φυγαδευτέον πάσῃ μηχανῇ, καὶ περικοπτέον πυρὶ καὶ σιδήρῳ ἀπὸ μὲν σώματος νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμάθειαν· quae ex *Lysidis* ad Hipparchum epistola sunt deformata, quam totam posuit s. 78. Hinc τέμνειν καὶ καίειν dicuntur *Xenoph.* K. A. p. 217. v. 22. καὶ γὰρ ἰατροὶ τέμνουσι καὶ καίουσι ἐπ' ἀγαθῷ· neque aliter *Cebes* p. 79. apposite *Tertullian.* Scorp. p. 621. B. *Et est plane quasi saevitia medicinae* de scalpello, deque cauterio, *de sinapis incendio: non tamen secari & inuri & extendi idcirco malum, quia dolores utiles adfert.* Sic *Demosthenes* Aristogitonem, civem pessimum, urbe expelli volebat, ὥσπερ ἰατροὶ ὅταν καρκίνον, ἢ φαγέδαιναν, ἢ τῶν ἀνιατῶν τι κακῶν ἴδωσιν, ἀπέκαυσαν, ἢ ὅλως ἀπέκοψαν. *Propertius*

etiam

etiam utilem hunc medicinae dolorem non reformidabat, dum modo solutus amoris vinculis ore libero in crudelem Cynthiam inveheretur. His perpensis in facili erit animadvertere, duo poni a poëta nostro, quae cum utraque simul consistere nequeant, alterutrum ut sibi succedat precatur. Primum, vos magae, Cynthiae mentem flectite: alterum, si incantationibus Cynthia non cedat, Aut vos, amici, quaerite non sani pectoris auxilia. Si dubitas etiam, non refugio, quin *Propertium* capiamus arbitrum III, xxiii, 10.

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut *vasto Thessala saga mari.*

HEMSTERH.

II, 10.

Et veniant &c. Vetus liber *Ach. Statii*, *ut:* hujus lectionis, etsi nullus ceterorum Codd. adstipuletur, rationem haberi oportuit, hoc saltem primo v. nam binis sequentibus *et* legatur, an *ut* parum interest, quamquam illud malim: satis est adstipulari *Propertium*, quem, suadeo, auctorem sequamur: II, xviii, 35. Adspice, ut *in toto nullus mihi corpore* surgat *Spiritus:* xxv, 55. Adspice *me &c.* ut regnem *mistas &c.* HEMSTERH. *Livinejus*, *Heinsius* Advers. II, 6. p. 247. *Vulpius*, & *Heynius* ad *Tibull.* I, III, 29. itidem legebant, *ut veniant*; *Muretus* autem rejiciendam non putabat scripturam libri *Statiani*, *ut veniant; surgat ut; ut sciat.*

vs. 11.

Vir summus *R. Bentl.* ad *Horat.* I. od. XII, 45. praefert *animosior*, vel *frondosior* arbutus, ne indecora repetitio *formosa* v. 9. & *formosius* cultissimum poëtam dehonestet: equidem haud ignoro, multis emendationibus istam vitandae repetitionis necessitatem praetexi, neque intercedo, quominus in quibusdam locis valeat: idem tamen affirmare non vereor, quantumvis delicatulas ac fastidiosas aures hoc quasi vitium offendat, haud pauca vel in ipso *Propertio* reperiri loca, ubi vocis intra brevem orationis ambitum repetitae correctionem nemo sine magnae temeritatis culpa tentare sustineat: hic etsi vulgatae

 lectio-

lectione contentus sim, si quis tamen maluerit *formosior*, ut ποιηλ-κώτερον, non refragabor. HEMSTERH. *Formosior* in quibusdam libris MS. inveniri testatur *Heins.* Advers. p. 247.

vs. 13.

Litora nativos &c. Ingentes turbas dedit hic versiculus, idque adeo propterea, quod gravissimae labis suspicionem mirifica veterum librorum varietas injiciat. Profecto non est, cur fastidiamus probatam *Barthio* lectionem,

Litora nativis collucent *picta lapillis*,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

Potuit enim jure suo noster ab oratione aliorsum pendente transire ad absolutam: quod si quis arbitretur concinnius fore, ut haec cum praecedentibus, *veniant*, *surgat*, *sciat*, congruant, in proclivi erit refingere,

Litora nativi collustrent *picta lapilli &c.*

collustrent, inquam, verbo perquam opportuno, cujus sedes in picturis est propria: *Cic.* Orat. § 36. *In picturis alios horrida, inculta, abdita & opaca, contra alios nitida, laeta,* collustrata *delectant.* Hoc tametsi pro certo venditare nolim, videtur enim a longo jam tempore labes profundior inolevisse, *Propertio* tamen indignum esse non arbitror. HEMSTERH. Ego conjecturae non probabili praefero perelegantem lectionem,

Litora nativis collucent *picta* lapillis;

quam liber *Voss.* in margine, in contextu autem *Leid.* & optimus *Groninganus* exhibent: nam *collucere* proprium & poëticum verbum est, non item *collustrare.* Conjunctivum vero modum minime necessarium esse perappositus ostendit *Ovidii* locus Fast. 1, 75.

Cernis *odoratis* ut luceat *ignibus aether:*
Et sonet *accensis spica Cilissa focis.*

Flamma

Flamma nitore ſuo templorum verberat *aurum*,
Et tremulum ſumma ſpargit *in aede jubar.*
Veſtibus intactis Tarpejas itur *in arces*,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt:

ubi in duobus libris pariter repoſitum, *verberet.*

V.

Vereor, ut hujus Elegiae mentem, totumque complexum ſatis intellexerint Interpretes. Gallus *Propertium* pallidum, atque emaciatum irridebat ipſe deliciarum Veneris expers & contemtor: quo tamen noſtrum pungeret, eorum amoribus interventurum ſeſe minabatur, ipſamque Cynthiam, cujus poteſtatem parum pendebat, ut liquet ex v. 31. tentaturum: nam quod magnus *Scaliger* Gallum precatorem ſibi apud Cynthiam & rogatorem aſſumſiſſe exiſtimet, id nullo plane veſtigio deprehendas. Invidum igitur Gallum appellat, qui bene compoſiti paris curſum interpellare non vereretur, eumque voces iſtas moleſtas compeſcere jubet: dehortatur autem illum a propoſito ac deterret primum vehementiam iratae Cynthiae, & importunas voces non toleraturae, ob oculos ponendo, tum, ſi vel maxime votis ejus iniqua non foret Cynthia, amoris miſerias expingendo: neque enim dubium eſſe, quantumvis de forma ac poteſtate Cynthiae ſecius exiſtimet, quin, ſi ad illum ignem propius acceſſerit, amori victas manus ſit daturus: *Illa feros animis alligat una viros.* Haec ſi vera ſunt, ut opinor, jure contendere mihi poſſe videor v. 3. legendum eſſe, *meae* ſentire furores: Cynthiae nimirum tibi moleſtisque tuis vocibus iratae furibundum animum: hoc ſane liquet ex v. 7, 8. illa non ſimilis eſt vagis puellis, ut temere tentari posſit, *Molliter iraſci nec ſciet illa tibi:* Cynthiam ut laudibus perpetuis efferat noſter, impotentis tamen animi fuiſſe feminam & ſuperbe iracundam minime disſimulat; hinc *expertae verbera ſaevitiae*, *injuſtas ſaepe tuliſſe minas*, tot jurgia, illaque gravis rixa venuſtisſime deſcripta IV, 8. Deinde recte, *mea*: ſaepe *Terent. Propert.* El. ſeq. *Illa* meam *mihi ſe jam denegat:* & VIII, 32, 42, 44. τὴν ἐμὴν *Ariſtaen.* I. I. p. 6. pariter *tua* infra IX, 22. *Et nihil iratae poſſe negare* tuae: *Horat.* Carm. I, XV, 22. *Non hoc pollicitus* tuae; Hele-

Helenae: sic etiam, *ad latus esse* suae III, xii, 22. & 29. *At* nostra *ingenti &c. Ovid.* II. Am. El. v, 26. cupido mollis amica *suo* ex Codd. notat *Heinf.* pro viro. vid. idem ad Remed. Amor. 492. Frigidior glacie fac videare *tuae.* τὰς ἑαυτῶν *Pausan.* viii. p. 604. v. 15. Sed tu, cultissime Vlamingi, qui Latinas elegantias habes perspectissimas, horum exemplorum gratiam mihi facis. Porro jam patet, quam commode lectum fuerit v. 9. in vetustis edd. *Quod si forte* tuis *non est contraria* votis, quem profecto sensum tota Elegiae οἰκονομία postulat. *Scaligerum* probavit *Broekhusius*: at considera, quaeso, maximi viri interpretationem: aut pone illam mihi pro te precanti victas manus dedisse; hoc illud est, quod dixi, nullis argumentis, nulla ne quidem specie nixum Gallum orasse *Propertium*, ut sibi pararius esse vellet & proxeneta apud Cynthiam: duram sane conditionem, & os inpudens Galli, qui hoc tantum oneris amico suo imponere non dubitaverit. Verum non diffiteor, in illa scripti libri, quam *Scaliger* protulit, lectione summopere mihi placere *ausa*, vocem in hoc loco convenientissimam & praecipuae virtutis: quare levi manu lubens resinxero, *Quod si forte* ausis *non est contraria* vestris: quod ego non vereor ne *Propertio* indignum videatur. HEMSTERH. Idem monuit *Heinsius* Not. p. 659.

vi, 22.

Praetulero, si per alios licet, *semper at* armato *cura fuit patriae:* tibi armato: Tu tuam aetatem, quae amori nunquam cessavit, in armis transegisti, ut patriam defenderes: *armata* patria quid sibi velit, non intelligo; si vel maxime Romanos armis civilibus inter se concurrentes interpreteris, huc tamen illa figura nihil faciet: firmat emendationem meam v. 29. ubi aliud sibi vitae genus & imbelliorem militiam a fatis attributam testatur. HEMSTERH.

viii, 10 & seqq.

Scaliger mutavit ordinem versuum *Broekhusio* quidem cum aliis subscribente, sed libris refragantibus. Porro *Broekhusii* eruditas aures offendit *Tyrrhena arena:* ego, servato codicum ordine, huic etiam incommodo mederi conabor, itaque totum locum esse constituendum censeo:

Nec

Nec tibi Tyrrhena *ſolvatur funis* ab ora,
Neve inimica meas elevet aura preces:
Atque ego non videam tales ſubſidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates:
Ut *me defixum vacua* patiaris arena
Crudelem infeſta ſaepe vocare manu.

niſi quis praehabuerit: Et *me defixum vacua* patieris arena *etc. arena* ſane hoc verſu tam commode ſententiam ornat, ut nihil ſupra, quippe quae triſtisſimae ſolitudinis & aridae vaſtitatis imaginem excitet, quod utique miſeriam amatoris, qui ſolus in arenoſo litore deſtitutus abeuntem amicam proſpectat, mirifice auget. HEMSTERH. Favere videntur editiones veteres, & duo libri MSS. in quibus invenitur, v. p. *arena*, & librariorum vel correctorum conſuetudo, qui talia ſaepe ingerunt, ut III, v, 58.

In mare cui ſoli *non valuere* doli,

pro, *ſoliti;* verumtamen juſta mutandae lectionis cauſſa non apparet. Similes enim ſonos in hac collocatione non ſpreverunt *Homerus*, *Callimachus* [in Del. 66.], & *Virgilius*, quos noſter imitari gaudet; *Ovidius* autem, cujus aures *Propertianis* non erant ſurdiores, etiam ſtudioſe perſecutus eſt. v. *Caſaub.* ad *Perſ.* 1, 95. *Burm.* ad *Lotich.* p. 355. & 493. & *Vulp.* ad h. l. Quare nec acceſſerim viro doctisſimo, qui nuper hoc amplius Eleg. XVII, 5.

Quin etiam abſenti *proſunt tibi*, *Cynthia*, venti,

venti, mutabat in, *flatus.* Plura exempla ex *Propertio* protulere *Douza* filius p. 93. & *Barthius* ad *Stat.* Theb. II, 239. ſed iis non utor. Vel enim corrupta ſunt: vel nihil ad rem faciunt.

XII, 17.

Si quis legendum exiſtimarit, *Aut* qui deſpectus *&c.* me quidem judice, rem acu tetigerit: Nam *ſunt quoque translato* &c. velut additum enthymema ſpectari debet, quemadmodum modo, *Non nihil adſperſis &c.* HEMSTERH. *Heinſius* itidem Adverſ. p. 324:,,

Praecedentia exigunt, ut fcribamus, Aut *qui defpectus*, vel, *defpectos.* ,, conf. Not. p. 667.

XIII, 23.

Nec fic coeleftem flagrans amor Herculis Heben
Senfit ab Oetaeis *gaudia prima* jugis.

ita *Scaliger*, approbantibus *Broekhufio*, *Marklando*que [ad *Stat.* Sylv. IV, VI, 53.] correxit, cum legeretur, in *Oetaeis jugis:* interpretantur autem, *ab Oetaeis jugis*, poftquam arfiflet in monte Oeta: fed hoc verba *Propertii* fignificare nequeunt; fignificabunt autem, fi corrigatur:

Senfit ab Oetaeis *gaudia prima* rogis.

Correctionem facilem & perfpicuam probat ejus imitator *Statius* Sylv. IV, VI, 53. de Hercule:

Qualis ab Oetaeis *emiffus in aftra* favillis
Nectar adhuc torva laetus Junone bibebat:

ut ex hoc ipfo *Propertii* loco *Marklandus* repofuit pro, *et* Oetaeis favillis; & III, I, 6.

ceu taedis iterum luftratus honefti
Ignis ab Oetaea *confcenderis aethera* flamma.

Permutantur autem voces III, IX, 8. ubi pro,

Fama nec ex aequo ducitur una jugo,

libri quidam habent, *rogo;* ut contra *Avian.* XXXIX, 6. *jugo*, pro, *rogo.*

XV, 9.

At non fic Ithaci digreffu mota Calypfo
Defertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moefta capillis
Sederat, injufto multa locuta falo;
Et, quamvis nunquam pofthac vifura, dolebat,
Illa tamen longae confcia laetitiae.

Alphe-

Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Conjugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.

Versus 15, & 16. *Alphesiboea suos caet.* ante 21. collocandi videntur hoc modo:

At non sic *Ithaci digressu mota Calypso*
Desertis olim fleverat aequoribus, cet.
Nec sic *Aesoniden rapientibus anxia ventis*
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Alphesiboea suos ulta est pro conjuge *fratres,*
Sanguinis & cari vincula rupit amor.
Conjugis *Euadne miseros elata per ignes*
Occidit:

nam puellae graviter dolentes amatorum discessu rectius conjunguntur; conjunguntur item rectius:

Alphesiboea suos ulta est pro conjuge *fratres,*
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Conjugis *Euadne miseros elata per ignes*
Occidit:

in quibus, *conjugis*, venuste repetitur. Maxime vero trajectionem versuum postulat consuetudo poëtarum, qui dissimilitudinem notantes, *non sic*, *nec sic*, jungunt & copulant, atque adeo *Propertii* II, XI, 1.

Non ita *Dardanio gavisus Atrida triumpho.*
Nec sic *errore exacto laetatus Ulyxes.*
Nec sic *Electre* ——
Nec sic *incolumem Minoïs Thesea vidit.*

& I, XIII, 21.

Non sic *Haemonio Salmonida mistus Enipeo*
Taenarius facili pressit amore Deus.
Nec sic *coelestem flagrans amor Herculis Heben*
Sensit ab Oetaeis gaudia prima rogis:

ubi v. *Passerat.*

XVIII, 19.

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amica Deo.
Ah! quoties teneras *resonant mea verba sub* umbras,
Scribitur & vestris *CYNTHIA corticibus.*

Guyetus volebat, *virides umbras*, &, *teneris corticibus;* ego, si quid mutandum, trajectis vocibus malim legere:

Ah! quoties vestras *resonant mea verba sub* umbras,
Scribitur & teneris *CYNTHIA* corticibus;

ut *Gratius* Cyneg. v. 119.

tenero *destrictas* cortice *virgas.*

Teneris enim corticibus amores inscribebant. *Virgilius* Ecl. x, 53.

teneris*que meos incidere amores*

Corticibus.

Poëta vetus, quem nonnulli *Florum* vocant, *Anthol. Burm.* T. I. p. 687.

Quando ponebam novellas arbores *mali, & pyri,*

Cortici

Cortici summae notavi nomen ardoris mei.
Nulla fit *exinde finis vel quies cupidinis.*
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus inplet literas:

ubi rectius legetur:

Nulla fuit *exinde finis, vel quies cupidinis:*

jambus enim ferri nequit in carmine, quod trochaïcum dicitur. *Scriverius* autem, qui post Amores *Baudii* p. 213. versus edidit ex Elect. *Lipsii* 1, 5. exhibet: *Nulla* fit deinde *finis:* sed apud *Lipsium* reperias, *fit exinde.* Parem vero medicinam *Lucano* 1, 587,

Fulminis edoctus motus, *venasque calentes*
Fibrarum, & monitus *errantis in aëre pennae,*

Graevius facere voluit Syll. *Burm.* T. iv. p. 241. legens, *Fulminis monitus,* &, *motus pennae:* quod *Heinsius* p. 242. & 446. probat, atque in suo libro semet ex scriptis adnotasse narrat. Robur addit *Tacitus* Hist. 1, 3. *coelo terraque prodigia,* & fulminum monitus, & *futurorum praesagia;* & *Propertius* IV, 1, 101.

Aut si quis motas *cornicis senserit* alas.

In *Lucani* itidem libro 11, 544.

O rabies miseranda ducis! quum fata Camillis
Te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis.

Oisel. liber priore versu, *Metellis,* habet, posteriore autem,

magnis*que velint miscere* Camillis:

„ forte melius, inquit *Burmannus,* ut imitatus fuerit *Propertium* III, vii, 31.

Crede mihi, magnos *aequabunt ista* Camillos.„

Mihi videbatur imitatus *Virgilium* Georg. II, 169.

haec Decios, Marios, magnos*que* Camillos:

hunc enim saepius imitatur, atque adeo dimidios versus de libris sumit; ut 1, 455.

regit *idem* spiritus artus,

de Aen. IV, 336.

dum spiritus *hos* reget artus;

& VII, 512.

Inde faces & saxa volant,

de Aen. I, 154.

Jamque faces & saxa volant;

& II, 577.

Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis
Incaluit,

de Georg. II, 484.

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

In alia discedit *Bentlejus* ad V, 799. *Labitur infelix:*],, Atqui tertio abhinc versu rursus habes, & in eadem caesura, *Non sic infelix.* Dederit potius poëta, *Labitur* exanimis — quod loco aptius est, quam illud *Infelix*, etiamsi non denuo rediret. Virgilius quidem bis habet, *Labitur infelix*, & appositissime: sed vel ea caussa Noster non sic diceret: noluisset enim a Virgilio, quem aemulabatur, hemistichium mutuari. ,, Sed exemplis prolatis redarguitur.

CAPUT

CAPUT VI.

Emendati loci aliquot e secundo Propertii libro. Poëta Cynthiae togam non dedit. Contectus auro. Incedere, suspendi nequit a verbo longe remoto, si versus, qui sententiam absolvit, interponitur. Coa, & vestis Coa junguntur. Ovidius a prava correctione vindicatus. Volumen de veste. Lyra carmen digitis percutere, Latinum non videri. Et, aut, trajecta. Amor artificem morbi non habet. Ovidius leviter curatus. Habere mulierem. Librarii vel correctores scriptorum verba & loquendi genera locis alienis reponunt. Ovidius a duplici correctione defensus. Graja juvenca. Terra mater. Amor candidus. Perjurum pectus. Omen augustum. Thebas disjectas conponere. Thebarum muri non restituti sunt pecunia Phrynes. Quolibet ire. Non pauca loca, quibus mutatio personae Propertio frequens probatur, suspecta sunt. Penelope salva dici nequit, cujus pudicitia salva est. Solus. Nuda apposita miramur membra lucerna. Attentare. Nox care venditur. Poscere grandia. Martialis imitatur Propertium.

Propertius II, 1, 5. de Cynthia sua:

Sive togis *illam fulgentem incedere* Cois:

hanc lectionem rejicit *Broekhusius*, quia ,, meretrices & moechae damnatae; non autem puellae ingenuae togas gestabant. ,, At, inquit, *Vulpius*, ,, Cynthia, quamvis claro genere nata, meretricio tamen vitae genere & quaestu delectabatur. ,, Concedo: verum quis poëta non stolidus amicae togam dedit, aut eam *togatam* vocavit? *Achillis* enim *Statii* commentum, qui *Tibulli* III, 11, 15. reponere conabatur,

Praefatae ante meos manes, animamque togatae,

merita nota jam damnavit elegantissimus *Heynius*. Cur autem *togis*? an

an una frigus arcere non poterat? quam pulchre vero puellae in togis proſtitutae convenit *incedere!* Sed nimis multa de lectione libris ſcriptis repugnante, ſine quibus ipſe *Vulpius* nihil mutandum eſſe clamat: in iis enim reperitur,

Sive illam Cois *fulgentem incedere* cogis,

vel, *incedere* togis. Apage igitur commentum *Beroaldi Propertio* penitus indignum. *Broekhuſius*, quem *Gesnerus* [in Theſ. L. L.] ſecutus eſt, e variis lectionibus hanc veram non difficulter erui poſſe cenſebat:

Sive illam Cois *fulgentem incedere* totis.

Aliter viſum *Vulpio*, & *Hemſterhuſio*, qui notam adſcripſerat: „ ulcus aliquod in hoc verſu inveteratum latere codices ſatis oſtendunt, cui vereor ut *Broekhuſius* remedium tulerit. „ Docuit quidem *Martialem* dixiſſe,

Lucebat totis *cum tegeretur* aquis:

ſed debuerat docere Latinos ſimiliter dixiſſe, *Coa tota*, &, Cois *fulgentem incedere* totis. Nec probabilior eſt *Heinſii* conjectura,

Sive illam tunicis *fulgentem incedere* totis.

nimis enim, ne nunc alias afferam rationes, a veſtigiis ſcripturae recedit. Modeſtior, & probabilior eſt altera, quam dedit ad *Virg.* Aen. x, 539.

Sive illam Cois *fulgentem incedere* totam.

Sic enim *Virgilius:*

Totus conlucens veſte, *atque inſignibus armis;*

& *Tibullus* I, 11, 69.

Totus *&* argento contextus, totus *&* auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo:

ubi

ubi lectio libri *Statiani*, *contectus*, debuerat admitti. *Curtius* VIII, IX, 29. *tantarum beluarum corpora* tota contegunt auro. conf. *Virgil.* Aen. VII, 278. & fcriptor B. H. cap. 26. Hanc tamen & caeteras omnes conjecturas, ante memoratas, verbi defectus evertit. Unde enim, quaefo, pendet infinitivus *incedere?* Refpondebit aliquis, a *vidi* v. 7.

Seu vidi *ad frontem fparfos* errare *capillos.*

Audirem, nifi vetaret perfpicue loquendi confuetudo. Nam cum verfus,

Hoc totum e Coa vefte volumen erit,

interponatur, nemo, licet omnes adhibeat machinas, efficiet, ut haec,

Sive illam Cois fulgentem incedere,

fuspendantur a, *vidi*, verbo longe remoto. Quaré libenter amplector fcripturam, quam duo *Vosfii* codices offerunt,

Sive illam Cois *fulgentem incedere* vidi,
—— *e Coa vefte volumen erit.*

Nihil tali verborum repetitione frequentius. C*oa* item, & *Coa veftis* eodem difticho venufte junguntur. *Ovidius* Art. Am. III, 189.

Pulla *decent niveas: Brifeïda* pulla *decebant:*
Cum rapta eft, pulla *tum quoque* vefte *fuit.*

& II, 279.

Sive erit in Tyriis; Tyrios *laudabis* amictus.

& Faft. IV, 619.

Alba *decent Cererem:* veftes *Cerealibus* albas
Sumite.

P Nam

Nam quod *Burmannus*, *alba*, &, *vestes albas*, inconcinne jungi ratus, corrigit, festis *Cerealibus alba sumite*, positis exemplis redarguitur. Caeterum illud, *vidi*, *Livinejus* e libro Vaticano jam notaverat: sed omnes praeter *Guyetum* sprevere. Necdum tamen locus *Propertii* persanatus videtur. Offendunt enim *hoc volumen*; & *totum volumen e Coa veste*: blanditur autem scriptura eorumdem *Vossii* librorum,

Totum de *Coa veste volumen erit:*

quam Latinam esse, atque adeo *Propertianam* docere non debeo.

ib. vs. 9.

Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, *faciles ut premat arte manus.*

Legendum, *lyra: Ovidius* [Trist. IV, x, 29.] ab ipso *Broekhusio* adductus:

Dum ferit *Ausonia* carmina *culta* lyra.

HEMSTERH. Eandem conjecturam fecit *Heinsius* in Not. & Advers. II, 1. sed mendosa *Nasonis* esse verba *Burmannus* existimat. Suspecta quoque sunt loca *Maronis* Aen. VI, 645.

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Jamque eadem digitis, *jam pectine* pulsat *eburno*;

& *Calpurnii* Ecl. IV, 128.

Seu cantare juvat, *seu ter pede laeta* ferire
Carmina:

nam *Modius* & *Dempsterus* docuere *Calpurnium* scripsisse, *pede laeta* ferire Gramina; *Jer.* autem *Marklandus* ad *Stat.* Sylv. III, v, 65. in *Maronis* versu legebat,

Jamque fidem digitis, *jam pectine* pulsat *eburno:*

cui conjecturae robur addit *Statius* Paneg. in *Pison.* 164.

Sive

Sive chelyn digitis *et* eburno pectine pulsas.

Videant itaque, qui *Propertium* ex *Ovidio* secure corrigunt, ne fundamentum correctionis in loco suspecto, tanquam in aqua, positum sit. Videant item, ne loquendi genera inter se discrepent: ut enim probetur forte, *ferire carmen lyra;* non tamen probabitur, *lyra carmen digitis percutere.* Nam quis non offendatur duobus ablativis ita conjunctis?

ib. vs. 10.

Miramur, faciles ut premat *arte* manus.

si *regat* scriptum foret, ego quidem illud *premat* minime desiderarem. infra Eleg. xxv, 80. Graeci χεῖρα ἐπιβάλλειν & χειροθεσίαν vocant: saepius *Artemon* apud *Athen.* xiv. p. 637. HEMSTERH. Pariter eruditus juvenis *J. Jo. Struchtmeyerus* Animadv. Crit. p. 90. corrigendum putat; aut ad Hypallagen confugiendum, ut „ *manus arte premat lyra*, positum sit, pro, *manibus arte premat lyram:* „ quod refutare non debeo. Nec deerunt forte, quibus audacior videatur correctio, *regat.* Poëta quidem dixit III, 10, 14.

Et nitidas presso pollice *finge comas.*

ib. vs. 27.

Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae;
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
Et *Ptolemaeeae litora capta Phari;*
Aut *canerem Aegyptum, & Nilum cum tractus in urbem*
Septem captivis debilis ibat aquis.

Aegyptus a Pharo disjungi nequit. Itaque trajectis voculis legendum videtur:

Aut *Ptolemaeeae litora capta Phari,*
Et *canerem Aegyptum & Nilum.*

ib. vs. 59.

 Omnes

Omnes humanos ſanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat *artificem.*

Quinctilianus Declam. xv, 11. p. 318. *Ex omnibus tamen, quae nobis patientibus extorquet adfectus, hoc ſaeviſſimum patimur, quod* nemo vult in amore ſanari: &, qui *Propertium* de more ſequitur, & imitatur *Janus Secundus* Epigr. 1, 55.

Artifices herbae ſanant genus omne malorum:
Solus Amor medicam ſpernit & horret opem.

& 57.

Quom gemina ſanetur ope quodcunque malorum,
Solus Amor carmenque ſacrum contemnit & herbas.

& Sylv. IV.

Hei mihi, quicquid eſt malorum
Admittit medicas amatque curas,
Nulla ſolus amor levatur arte,
Non cantu perit, aut perit venenis,
Spernit conſilium fidele, ſpernit
Quicquid mens bene ſuada prodit.

At poëta ſanari volebat. Ipſe I, 1, 25.

Aut vos, qui ſero lapſum revocatis, amici,
Quaerite non ſani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, ſaevos patiemur & ignes.

& hujus Eleg. v. 67.

Hoc ſi quis vitium poterit mihi demere, ſolus
Tantaleae poterit tradere poma manu.

Quare corrigendum videtur:

Omnes humanos ſanat medicina dolores:
Solus Amor morbi non habet *artificem.*

Corre-

Correctionem probant vis & natura oppofitionis, proximeque fubfequentia, quibus oftendit omnes morbos fanari poffe; fed amorem fanari non poffe queritur:

Tarda Philoctetae fanavit crura Machaön,
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides.
Et Deus exftinctum Creffis Epidaurius herbis
Reftituit patriis Androgeona focis.
Myfus & Haemonii juvenis qui cuspide vulnus
Senferat, hac ipfa cuspide fenfit opem.
Hoc fi quis vitium poterit mihi demere, folus
Tantaleae poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera affidua colla graventur aqua.
Idem Caucafea folvet de rupe Promethei
Brachia, & a medio pectore pellet avem.

Probat item confuetudo librariorum, qui faepe voces confundunt, atque adeo, *amare*, in locum verbi, *habere*, fubftituunt. v. *Burm.* Obf. Misc. Vol. IV. p. 221. Id autem fecere cum in aliis *Ovidii* locis, tum Amor. III XII, 6.

Quae modo dicta mea eft, quam coepi folus amare,
Cum multis vereor ne fit habenda *mihi*:

ubi in uno libro legitur, *amanda;* fed fcribendum videtur:

Quae modo dicta mea eft, quam coepi folus habere,
Cum multis *vereor ne* fit habenda *mihi*:

hoc enim fententiae vis, & verbum longe fortius, *habenda fit*, requirunt. Videlicet „ *habere mulierem* dicebatur, qui ad eam pro fuo jure cum volebat, ventitabat, eaque ad arbitrium fuum fruebatur, „ uti bene *Muretus* Var. Lect. VI, 7. Poftremo robur correctioni *Propertianae* liber *Voffianus* addit, qui in contextu carminis offert, *habet*, in margine *amat*. Vix autem dubitari poteft, quin error natus fit ex I, II, 8.

Nudus Amor *formae* non amat artificem.

Solebant enim librarii vel correctores scriptorum verba, & loquendi genera locis alienis reponere, ut II, xxiii, 32. in duobus libris:

Bistoniis olim rupibus ingemuit,

ex I, i, 14.

Saucius Arcadiis rupibus ingemuit;

& III, xi, 61.

atque utinam patriae sim verus aruspex,

ex III, vi, 17.

His ego tormentis animi sum verus aruspex;

& II, iv, 9. in uno codice,

Nunc est ira ruens, *nunc est discedere tempus*,

ex III, xiii, 44.

Nescit vestra ruens ira *referre pedem.*

Haec autem consuetudo viris eruditis saepissime fraudi fuit. Non utar exemplorum, quae maxima est, copia: tantum duo ponam de Metamorphosisin *Ovidii* sumta: iii, 102. pro,

Pallas adest: motae*que jubet supponere* terrae
Vipereos dentes, populi incrementa futuri,

pr. Mediceus habet, matri*que jubet supponere* terrae, ex i, 383.

Ossaque post tergum magnae jactate parentis;

& 393.

Magna parens terra est.

matri

matri quidem placuit *Heinſio;* ſed, ut nimis argutum, jure *Burmannus* repudiavit. Similiter XII, 608. ubi vulgatur:

ille igitur tantorum victor Achille
Vinceris a timido Grajae *raptore* maritae?,

Baſil. *juvencae* dat ex Heroïd. Ep. V, 117.

Graja juvenca *venit, quae te patriamque domumque*
Perdet. iö prohibe, Graja juvenca *venit:*

quod elegantius *Burmanno* viſum miror. Eleganter & erudite Caſſandra vates Helenam vocat *Grajam juvencam;* ſed prorſus invenuſte & putide poëta ſic vocaret.

III, 47.

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Poſt venit adſueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti poſt haec aequa, & iniqua ferunt.
Turpia perpeſſus vates eſt vincla Melampus,
Cognitus Iphicli ſurripuiſſe boves.
Quem non lucra, magis Pero formoſa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

IV, 1.

Multa prius dominae delicta queraris oportet:
Saepe roges aliquid, ſaepe repulſus eas.
Et ſaepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio ſuscitet ira pede.

ſic verſus in pervulgatis & mſſ. libris ponuntur. At qui diligenter attenderit, ſtatim ſentiet finem Elegiae tertiae, & initium quartae cohaerere. Nihil itaque vetat verſus conjungere, praeſertim cum in mſſ. libris Elegiae modo conjungantur, modo disjungantur. In alia tamen disceſſere *Scaliger*, & *Broekhuſius*; qui v. 47. *Ac veluti cet.* cum ſeptem ſequentibus transtulerunt in Elegiam II.

II, 32.

> Num *tibi nascenti primis*, *mea vita*, *diebus*
> Aridus argutum ſternuit *omen Amor?*

Fratris tui membranae *Non tibi* &c. *Aridus* a. *ſtertuit*, quod & *Scaliger* ex ſuo codice notavit, ſine interrogatione. Primum non dubito, quin legi debeat, *Nam tibi nascenti &c.* illo uſu particulae perquam eleganti: nihil eſt mirum, tantis te dotibus tamque egregiis excellere, nam tibi nascenti ſternuit omen Amor. deinde non disſimulo, haud paulo mihi meliorem videri vulgata lectionem illam, quam *Pontanus* ex *Macrobio* concinnatam rationibus haud poenitendis fulcivit: epitheton illud *Aureus*, quantumcunque metalli pretioſisſimi titulo praefulgeat, ſi cum altero comparetur, hic certe longe deterius eſt: etenim ad ſententiam poëtae juvandam nihil habet praecipui, cum contra *candidus* non nudum quoddam ac gratis ſonorum ſit epitheton, verum opportune ſignificet Amorem faventem ac propitium, quod quam ſuo loco ſit poſitum, ubi fauſti ominis ſit mentio, non eſt cur multis exponam. Porro non me praeterit, quam interpretationem recipiat *argutum omen:* ſed hoc equidem contendo, argutius hic poni & multo venuſtius, *auguſtum* omen: conſidera, quaeſo, ſequentia, *Haec tibi contulerunt coeleſtia munera Divi &c.* jam me verum dixiſſe fateberis: iſtae dotes tantae in Cynthiam ab ipſis Diis collatae, neque humani partus dona, merebantur profecto *auguſtum omen.* Ceterum, quem ſaepe ſolet, expresſit Noſter Eid. VII, 96. Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον· ibique mox ſequitur, Ἐσθλὸς ἀνὴρ μὲν Ἄριστις, ὃν οὐδὲ κεν αὐτὸς ἀείδεν Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι, quod tu cum iſtis compone, *Par Aganippaeae ludere docta lyrae:* Eid. XVIII, 16. Ὄλβιε γάμβρ᾽ ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι Ἐς Σπάρταν — ubi mirifice poſitum ἀγαθός τις, ſive cum *D. Heinſio* capias ἀγαθὸν δαίμονα, ſive, quod mihi potius probatur, virum probum & θεοφιλῆ, cujus miniſterio Dii non nolint alicui fauſtum ſignificare. HEMSTERH. *Auguſtum omen Sannazarius* imitatione ſua probavit Eleg. III, III, 14.

> *Candidaque* auguſtum *concinit* omen *avis.*

Probavit item *candidus* Eleg. I, III, 58.

Candi-

Candidus *&* *pennis omina firmet* Amor.

Nec aliter forte in antiquis, quibus utebatur, exemplaribus, invenit. In vetere quidem libro, *Candidus*, legi, teſtis eſt *Paſſeratius*.

IV, 21.

Nec tibi perjuro *ſcindam de* corpore *veſtes*.

unus *Voſſii* liber, *pectore*. *Naſo* Metam. II, 705.

perjura*que* pectora *vertit*
In durum ſilicem.

Idem ſaepe dixit, *veſtes a pectore deripere*, *laniare*, *rumpere*. vid. Metam. IX, 635. XI, 681. Art. A. III, 707. *Corpus* autem ſaepe ſedem vocabuli *pectus* occupavit; ut *Prop*. II, XXII, 37.

Adſpice, *ut in toto nullus mibi* corpore *ſurgat*
Spiritus:

ubi, *pectore*, legendum monuit *Marklandus* ad *Stat*. Sylv. p. 299. & ante *Marklandum* veriſimiliter alii. In *Latini* quidem *Latinii* Biblioth. T. II. p. 61. reperio: *Corpore*] *pectore*. Alias.

V, 5.

Nec, *quae* deletas *potuit componere* Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris.

Non tantum *Palatinus*, ſed & plerique libri, quos vidimus, habent *delecta*. Quapropter aliquando ſuſpicabar ſcriptum fuiſſe,

disjectas *potuit* conponere Thebas.

Virgilius Aen. VIII, 290.

Ut bello egregias idem disjecerit urbes
Trojam*que* Oechaliam*que*.

Ovidius Heroïd. 1, 47.

At mihi quid prodest vestris disjecta *lacertis*
Ilios?

Disjecta quidem *disponi*, & *conponi* dicuntur; ut e contrario *conposita disjici*. Ad hunc autem locum *Passeratius* notat: „ quae ita potens & dives fuit, ut denuo conderet excisas & eversas ab Alexandro Thebas. *Athenaeus* libr. 13. cap. 22.„ *Vulpius* vero: „ muri Thebarum denuo excitati & conpositi sunt pecunia Phrynes. „ At nihil tale legitur apud *Athenaeum* XIII. p. 591; tantum, ἐπλούτει δὲ σφόδρα ἡ Φρύνη καὶ ὑπισχνεῖτο τειχιεῖν τὰς Θήβας, ἐὰν ἐπιγράψωσι Θηβαῖοι, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΕΝ ΚΑΤΕΣΚΑΨΕΝ, ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ Η ΕΤΑΙΡΑ, ὡς ἱστορεῖ Καλλίστρατος ἐν τῷ περὶ ἑταιρῶν· quibus verbis congruenter *Bonon.* liber exhibet:

deletas voluit *conponere Thebas.*

Nihil etiam tale reperitur apud *Diodorum* Siculum XIX, 54. quo loco de Thebis a Cassandro restitutis exponit, atque eos commemorat, qui pecunias ad opus contulerunt.

ib. vs. 15.

Felix Admeti conjux, & lectus Ulyxis,
Et quaecunque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse *licet?*

Ante multos annos tentabam: *quolibet ire* licet? Sequebar autem conjecturam ex re, & conpluribus *Ovidii*, qui nostrum toties imitatur, locis ductam, maxime Pont. III, v, 48.

Gratia Dîs, *menti* quolibet ire licet.

sed *Toupius*, ad quem nunc Critici Britanni primas ex sua gente deferunt, occupavit Emend. in *Suid.* Vol. I. p. 23.

VI, 1.

Gavisa

Gavisa est *certe sublatam* Cynthia *legem*,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ne nos divideret. quamvis diducere amantes
Non queat invitos Jupiter ipse duos.
At magnus Caesar. sed magnus Caesar in armis.
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Anne ego respicerem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah! mea tum quales caneret tibi tibia cantus:
Tibia funesta tristior illa tuba.

Rectius legas:

Gavisa es *certe sublatam*, Cynthia, *legem.*

Docent sequentia:

Anne ego transirem tua limina *clausa maritus?*
Ah! mea tum quales caneret tibi *tibia cantus.*

Erunt forte, qui dicant esse personae mutationem poëtae familiarem: sed pleraque ejus generis loca sunt corrupta, tanquam II, VII, 47.

Nec non exanimem amplectens Briseïs Achillen,
Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lavit moerens captiva cruentum.
Foedavitque comas, & tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu:
Quum tibi *nec Peleus aderat*, *nec caerula mater,*
Scyria nec viduo Deïdamia toro:

vetus enim *Passeratii* liber offert, *Quando ibi*, quod merito *Guyetus*, & *Douza* conprobarunt. Et tamen *Broekhusius* affirmare non dubitat „ omnes libros habere, *Quum tibi.*

VII, 19.

Memorantur codices, qui praeferant, *Viderat ille* Phrygas *&c.* hoc filo ad *Propertianam* manum perveniri posse existimo: Tu etiam atque etiam considera, hic versiculus, an felicissima poëtae nostri vena sit indignus:

Viderat ille Phrygas, fractis, in litore, Achivis,
Fervere & Hectorea Dorica castra face.

Sane quid Achilli, heroi praeferoci, magis intolerandum videri potest, quam, fractis Achivis, Phrygas, navium stationi imminentes, in litore conspicere: istos tamen hostiles insultus & furentis Hectoris faces generosus animus ut impune transmitteret, ereptae Briseidis dolor inperavit. HEMSTERH.

ib. vs. 41.

Penelope poterat bis denos salva *per annos*
Vivere, *tam multis femina digna procis.*

Passeratius: „ vivere *salva*, integra, & intacta permanere: *Salva*, cujus pudicitia nulla ex parte imminuta. Sic *Plautus* Amphitr. *signum salvum est.* id est, incorruptum, intactum. —— *Livius* 1, 58. *Quaerentique viro*, *satin* salvae? *quid enim* salvi *est mulieri*, *amissa pudicitia?* Nec aliter *Livinejus* & *Vulpius* interpretantur. At vitiose colligunt: etsi enim liquet, Latinorum sermone trita fuisse, *salvam virginitatem*, *salvam pudicitiam;* non tamen sequitur, ut *salvam* vocaverint *puellam*, cujus integra castitas esset. Rectius igitur viri doctissimi *Franc. Guyetus*, & *Jo. Arntzenius* ad Script. de viris Illustr. cap. 46. locum vitiatum censuerunt. Et hic quidem corrigebat, *sancta;* ille autem, *casta.* Sane voces permutantur apud *Tibull.* IV, IV, 16. nam pro, *salva* puella tibi est, *Vossii* liber in contextu, quem vocant, habet *casta*, superscriptum, *salva.* Mihi tamen non paullo propius ad vulgatam scripturam accedere, atque adeo melius loco congruere videbatur,

Penelope poterat bis denos sola *per annos*
Vivere, *tam multis femina digna procis.*

Solus est, qui sine conjuge & amica degit. Apposite *Servius* ad *Virg.* Aen. IV, 82. Sola *domo moeret vacua.*] Sola *sine eo*, *quem amabat;*

amabat; nam regina ſola eſſe non poterat. Eſt autem Plauti, *qui inducit inter multos amatorem poſitum dicentem, quod* ſolus *ſit: ut ipſe alibi* [Ecl. x, 48.] *Me ſine* ſola *vides, — quam conſtabat Antonii caſtra comitatam; ſed* ſola, *ſine amatore ſuo.* conf. *Pricaeus* ad *Appul.* Metam. I. p. 9. Hoc unice requirit oppoſitio:

> *Penelope poterat bis denos* ſola *per annos*
> Vivere:
> *At tu non una potuiſti nocte* vacare
> *Impia; non unum* ſola manere *diem.*

Recurrunt itidem verba XXIII, 113.

> *Dic mihi, quis potuit lectum ſervare pudicum?*
> *Quae Dea, cum ſolo* vivere ſola *Deo?*

voces autem commutari patet ex variis lectionibus adjectis ad *Lucret.* III, 696. & *Horat.* Epiſt. I, II, 10.

> *Quod Paris ut regnet* ſalvus, *vivatque beatus:*

ubi *Jones: ſolus* V. L.

Haec fere multis ab hinc annis ſcripſeram, cum *Latini Latinii* Bibliothecam nactus Tom. II. p. 59. notatum reperi: *ſalva*] *ſola* alias. Neglexit tamen, ut alia, *Broekhuſius*, qui viro doctisſimo maluit inſultare ad I, III, 31. quam bonis oblatis uti.

x, 17.

Haec cum ſuperioribus incommode ſatis cohaerere, *Broekhuſio* libens adſentior: verum quem in locum opportuniorem migrare debeant, nunc ſubtilius anquirere ſuperſedebo, ne juſto longiorem tibi fabulam contexam, & hac epiſtolari libertate abuti videar: illud autem, quod in propinquo poſitum eſt, monere non gravabor; ſedecim praecedentes verſus ſi priori Elegiae connectantur, nihil fore omnino, quod ad elegantiam carminis deſiderari queat. HEMSTERH. Equidem diverſis temporibus ita conjunctos verſus legi; ſed elegantiam nullam ſentire potui. Aliud utriusque carminis eſt argumentum: nulla cohaerentia. Quid? Eleg. IX, 17. & ſeqq. usque

que ad finem *Propertius* alloquitur Amorem; initio decimae de eodem inſtituit ſermonem. Alias rationes omitto. Melius carmen ex illis ſedecim verſibus contexi poterat.

XII, 7.

Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula ſunt labris noſtra morata tuis!
Quam multa *appoſita* narramus verba *lucerna!*
Quantaque ſublato lumine rixa fuit!

Ovidius Amor. II, XI, 49.

Illic appoſito narrabis multa *Lyaeo.*

ſed aut vehementer fallor, aut inportune *verba narrantur appoſita lucerna.* Nec probabat *Guyetus*, homo ſagax, & magni aeſtimandus. v. *Heinſ.* Not. p. 691. An ſcriptum fuit,

Quam nuda *appoſita* miramur membra *lucerna?*

Sannazarius Eleg. I, I, 33.

At mihi tete avidis liceat vincire lacertis,
Oscula*que optata ſumere longa* mora.
Et liceat poſita mirari membra lucerna:

qui forte non aliter legit. Etenim felix vatis imitator, idemque Criticus elegias ejus ipſe pluribus in locis caſtigaverat, uti narrat *Alexander ab Alexandro* Genial. Dier. II, I. Timidos & inperitos terrebunt vocum mutationes; ſed verecundiae fines in corrigendo non transivimus. Nam *narramus* & *miramur* in mſſ. vix inter ſe differunt; *multus* autem & *nudus* permutantur apud *Stat.* Theb. X, 166. *verba* vero & *membra* apud *Juven.* X, 198. & alios ſaepisſime. v. *Scal.* ad *Prop.* I, XIII, 17.

XV, 21.

Non tamen ut vaſtos auſim tentare leones.

Vosſii

Vossii liber, *attentare.* *Statius* Theb. IV, 71. de tauro:

haud illum *bello* attentare *juvencis*
Sunt animi:

ubi pariter *Behot.* liber exhibet, *tentare.*

XVIII, 65.

Cernere uti possis vultum custodis amari,
Captus & immunda saepe latere casa,
Quam care *semel in toto* nox vertitur *anno!*

vertitur Broekhusio displicuit: jure merito: vereor tamen, ut conjectura quamvis ingeniosa verum attigerit: lege, *Quam* care *semel in toto* nox venditur *anno?* illud *care* adjunctum prorsus emendationem firmat: nemo autem non, ut sciat, quid sit *noctem vendere*, explicatione mea facile carebit: hoc tam videtur in proclivi positum, ut mihi in mentem venisse primo vix credam. HEMSTERH. Correctionem, quae mihi pariter in mentem venerat, probavi & confirmavi Observ. I, 3. p. 28.

ib. vs. 69.

Contra rejecto quae libera vadit amictu,
Custodum & nullo septa timore, placet;
Cui saepe immundo sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit,
Differet haec nunquam, nec poscet garrula, *quae te*
Adstrictus ploret saepe dedisse pater.

Passeratius: „ *Garrula*; Plauto, *nimium tinniens.* Eidem & initio Bacchidum, *Lusciniola, cui periculum non est, ne desuat cantio.*„ Nec aliter interpretari poterat. Sed id vocabulum cum re, de qua *Propertius* agit, non convenit. Conveniet autem:

Differet haec nunquam, nec poscet grandia, *quae te*
Adstrictus ploret saepe dedisse pater:

quod confirmant, *adstrictus*, &, *poscet.* *Horatius* Sat. I, II, 121. loco, si sententia spectetur, simillimo:

hanc;

hanc, Philodemus ait, ſibi, quae neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, cum eſt juſſa venire.

Poſcet autem *grandia* firmari poſſet exemplis poëtarum, atque adeo *Martialis* & *Propertii*, qui dixere, *magna dare*, *rogare*, *grandia polliceri:* ſed Criticis pro omnibus exemplis erit unum *Martialis* V, VI, 10.

Nunquam grandia, nec *moleſta* poſcit.

Hic enim plurima de *Propertii* carminibus ſumſit, ut XI, XXXXVIII, 3.

Cur nec Pompeja *lentus* ſpatiatur in umbra?

de IV, IX, 75.

Tu neque Pompeja ſpatiabere *cultus* in umbra;

& XIV, 2.

Eſſemus Libyci nobile dentis *onus*,

de II, XXIII, 12.

Et valvae Libyci nobile dentis *opus;*

Alia paſſim *Broekhuſius* annotavit. Et tamen II, XVIII, 59. pro,

Et modo pavonis caudae *flabella* ſuperbae,

dedit, *ſuperbi;* quod hac nota damnavit *Hemſterhuſius:* ,, cur, *pavonis* caudae flabella *ſuperbi*, pro *ſuperbae*, praeſertim cum ad manus eſſet poëtae Hispani locus, [XIV, 67.] *Alitis eximiae* cauda ſuperba *fuit?*,,

* * *
* *
*

CAPVT



CAPUT VII.

Reliqua libri II *Propertii correcta. Gaudere beatis. Inprobata versuum trajectio. Gygae & Croesi flumina. Ne, neve. Dimissa somno, periclo. Heu vix usurpatur, nisi in re lugubri. Heu & o permutantur. Tenebrae, quae Propertii versus obscurare videbantur, unius literulae mutatione discussae. Rumor pervenit ad aures. M, si negligatur ecthlipsis, propter caesuram produci nequit. Loca Propertii & Tibulli, quibus opinio communis firmari putatur, corrupta sunt. Ecthlipsis Propertiana, jam inpune. Juvenalis & Virgilius defensi. Latiae & Sabinae junguntur. Juvenalis, trajectione versuum, curatus. Alia. Es, sequente vocali, non corripitur: versus, in quibus produci videtur, menda continent. Mirari. Dubitatum de loquendi genere, satius imitere Philetam. Satius est imitari Philetam. Satius & potius mutantur. Uvae virides sunt immaturae. Seges & uva rectius nitere & venire dicuntur, quam virere. Claudianus a prava correctione vindicatus. Propertius imitatur Virgilium, versusque dimidios ab eo sumit: usus multiplex hujus observationis.*

Propertius II, XIX, 33. ad Cynthiam:

Noli nobilibus, *noli* conferre *beatis.*
Vix venit, extremo qui legat ossa die.

Heinsius Adverf. p. 348. ,, *noli* te offerre *beatis*, opinor. *Guyetus* haec, ut spuria confodiebat, sed injuria. ,, Novi aliquem, qui malit,

Noli nobilibus, *noli* gaudere beatis.

Tibullus II, VI, 31.

Heu, *heu* divitibus *video* gaudere puellas:

qui locus ad conjecturam probandam perappositus est.

ib. 47. *Et si secla forent cet.*

 Hein-

Heinsius Adverf. p. 349. „ Scribe, Haec *fi fecla forent.* Sed accipio, quod optimi libri manu fcripti cum quibusdam editis offerunt,

> At *fi fecla forent antiquis grata puellis,*
> *Effem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.*

Alloquitur autem poëta rivalem. Sequor enim cum *Vulpio* libros, non trajectionum commenta, quibus *Scaliger* & *Broekhufius* de more cuncta turbaverunt, & faepe rebus clarisfimis tenebras obduxerunt.

XX, 23.

> *Non, fi* Cambyfae *redeant, & flumina* Croefi,
> *Dicat: de noftro furge, poëta, toro.*

Infignis & pererudita eft *Guyeti* conjectura:

> *Non fi* Candaulae *redeant & flumina Croefi.*

Sunt tamen magni Critici, qui noftram praeferant:

> *Non fi* jam Gygae *redeant, & flumina Croefi:*

ut enim plurimi divitias Croefi celebrant, fic Gygis, Lydiae regis, Graeci poëtae, tanquam *Alpheus*, *Anacreon*, & *Archilochus* verfu noto.

> Οὐ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει·

quem *Gregorius* Nazianzenus expresfit Tom. II. Jamb. XVIII. p. 205.

> Κἂν σοι τὰ Γύγου τοῦ πολυχρύσου παρῇ.

Similiter autem *Gyges* & *Croefus* junguntur ab *Strabone* XIV. p. 998. ὡς ὁ μὲν Ταντάλου πλοῦτος, καὶ τῶν Πελοπιδῶν, ἀπὸ τῶν — μετάλλων ἐγένετο· — ὁ δὲ Γύγου, καὶ Ἀλυάττου καὶ Κροίσου ἀπὸ τῶν ἐν Λυδίᾳ τῆς μεταξὺ Ἀταρνέων τε καὶ Περγάμου πολίχνης ἐρήμης ἐκμεταλλευμένα ἐχούσης τὰ χωρία. Illud vero, *jam redeunt*, frequens eft, ut II, XXIV, I.

> *Triftia* jam redeunt *iterum follemnia nobis.*

Caeterum fons erroris fuit librariorum confuetudo, qui voces dividendas faepe junxerunt, atque ita vitiofas & monftrofas lectiones finxerunt, ex. gr. I, VI, 3. *corripeos*, *coripeos*, *Corcyraeos*, pro,

quo

quo Riphaeos. Dorvilius Obſ. Miſc. Vol. v. p. 304. corrigendum putabat:

Non, ſi Cambyſes *redeant, & flumina Croeſi;*

vel, nulla mutatione facta, *Cambyſae*, numero plurali, capiendum: ſed haec inſequi vetant magnitudo meritorum in literas, & veteris in me amoris jucunda recordatio. Ex diebus enim, quos in vita vidi laetos, illi fuere laetisſimi, quos jam inde ab adoleſcentia fere quotannis in amoenisſima villa, a ſummo viro peramanter & comiter invitatus, exegi.

xx, 57.

Quod mihi ſi ponenda tuo ſit corpore vita,
Exitus hic nobis non alienus erit.
At vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, & qua ſit mors aditura via:
Quaeritis & coelo Phoenicum inventa ſereno,
Quae ſit ſtella homini *commoda, quaeque mala:*
Seu pedibus Parthos ſequimur, *ſeu claſſe Britannos,*
Et maris, & terrae coeca pericla viae.
Rurſus & objectum fletis capiti eſſe tumultum,
Quum Mavors dubias miſcet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam, domibusque ruinam:
Neu ſubeant labris pocula nigra ſuis.
Solus amans novit, quando periturus, & a qua
Morte: neque hic Boreae flabra, neque arma timet.

Poëta vult non eſſe, quod amantes, more caeterorum mortalium, divinatione utantur ad tempus genusque mortis oppetendae praenoſcendum. Mihi itaque, totum locum diligenter aliquando perpendenti, ratio poſtulare videbatur, ut v. 63. reponeretur:

Seu pedibus Parthos ſequitur, *ſeu claſſe Britannos:*

homo nempe, de quo praecedente verſu:

Quae ſit ſtella homini *commoda, quaeque mala:*

hanc autem conjecturam poſtea duo libri confirmavere *Voſſ. & Groninganus.* Indidem vero *Livinejus* olim protulit; ſed hac nota damnavit: „ *Sequitur* P. inepte. Loquitur ex perſona Romanorum, Auguſto adulantium, qui expeditionem parabat in Parthos. „ Audirem, vir elegantisſime, ſi legeretur: *At nos mortales* quaerimus, flemus: nunc audire prohibet oppoſitio.

XXII, 27.

Ibat & hinc caſtae narratum ſomnia Veſtae,
Neu *ſibi, neve mihi quae nocitura forent.*

Dubito, an corrigam:

Ne *ſibi,* neve *mihi quae nocitura forent.*

ita quidem locutus eſt I, III, 28. X, 21. & III, X, 10.

ib. 29.

Talis viſà mihi ſómno dèmiſſa *recenti.*

an *dimiſſa?* quam dimiſit ſomnus? ea locutione *Ovidius* uſus [Medic. F. 51. *cum teneros* ſomnus dimiſerit artus.] HEMSTERH. ut antea *Guyetus.* Nec aliter quidam codices exhibent, ut XXI, 59.

Tu quoniam es, mea lux, magno dimiſſa periclo:

quod vulgatae ſcripturae, *demiſſa periclo,* praeferri debuerat.

ib. 31.

Prava diſtinctio loci venuſtatem obſcurat: lego,

Talis viſa mihi ſomno demiſſa recenti,
[*Heu! quantum per ſe candida forma valet!*]
Quo tu matutinus, ait, ſpeculator amicae?

Talis viſa mihi ait. HEMSTERH. Pariter *Douza* pater vſ. 30. parentheſi monuit includendum.

ib. 30.

Heu *quantum per ſe candida forma valet!*

Paſſera-

Pafferatius: „*Heu!* eft hic admirantis, non ingemifcentis.„ *Vulpius* autem: „ Nihil vetat, *heu* hoc loco effe ingemifcentis. Poteft enim poëta ingemifcere, quum cogitat formam Cynthiae fibi cruciatus cauffam effe, vel eam ornandi nullum finem facere. „ *Broekhufius* vero legebat:

Et *quantum per fe candida forma valet!*

Equidem corrigere malim:

O *quantum per fe candida forma valet!*

Statius Achill. I, 168. loco perappofito:

Forte & laetus adeft. [o quantum *gaudia formae*
Adjiciunt!]

Heu vix adhibetur, nifi in re lugubri. v. *Markl.* ad *Stat.* Sylv. II, VII, 24. Voces autem faepe commutantur, ut *Prop.* IV, I, 40.

O *quali vecta eft Dardana puppis avi!*

ubi in quibusdam libris invenitur, *heu*, quod monere non neglexit praeclarus ille corrector *Gebbardus* addens: „ Legendum *Eu*, quod eft Graecum εὖ, unde *Euge* manat. „ Euge, euge, lepide!

XXIII, 37.

Hoc utinam fpatiere loco, quodcunque vacabis,
Cynthia: fed *tibi me credere turba vetat,*
Cum videt accenfis devotam currere taedis
In nemus, & Triviae lumina ferre Deae.

Blanditur lectio libri Groningani:

nam *tibi me credere turba vetat.*

ib. 65.

Num jam, dura, *paras Phrygias nunc ire per undas,*
Et petere Hyrcani litora nota maris?

Spargereque alterna communes caede penates,
Et ferre ad patrios praemia dira lares?

Broekhuſius: „ ſpiſſae mihi tenebrae hic ſunt iter illud per Phrygium & Hyrcanum mare; caedes illa alterna, & dira caedis praemia. —— Cynthia aliquando ſecuta eſt praetorem neſcio quem, qui Illyriam teneret. Cum eo praetore in Pontum quoque perveniſſe videtur. atque ibi duas tunc caedes factas fuiſſe vel conſtitit, vel rumor frequens diſtulit. Certe reverſam Cynthiam ſtatim fuiſſe veneficii poſtulatam, nec plene convictam, atque adeo àbſolutam, hi verſiculi oſtendunt:

Non tua deprenſo damnata eſt fama veneno.
Teſtis eris puras, Phoebe, videre manus. „

In haec, ne quid gravius dicam, convenit illud poëtae:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Tenebras autem viro perſpicacisſimo *Scaligeranae* trajectiones objecere, quas ſequi ſolet. Quid vero *Vulpius?* qui „ nollet *Broekhuſium* levisſimis conjecturis, immo ſomniis, largiter indulſiſſe? „ Sequitur editos & ſcriptos libros, qui ſic connectunt [xxx, 16.]:

Hic locus eſt, in quo, tibia docta, ſones;
Quae non jure vado Maeandri jacta nataſti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, *paras Phrygias nunc ire per undas? etc.*

interpretatur autem. „ pergit alloqui tibiam, ad quam ſermonem antea converterat. —— Veteres porro in conviviis & in proeliis tibiam adhibebant: iccirco ait Propertius, ejus uſum potiorem eſſe in conviviis, quam in proeliis. —— Quod autem *Phrygias undas* memorat, Helleſpontum ſcilicet, alludit manifeſto ad Themiſtoclis tibiam, qua ipſas Athenas in naves deduxit: —— nemo neſcit, Xerxem —— ſuper Helleſpontum pontem conſtrui jusſiſſe, quem poſtea venti dirupere. Phryges praeterea, tibicines erant celeberrimi. —— Quum & Perſae igitur, & Graeci tibiam ducem in exercitu haberent, iccirco Noſter Hyrcani maris mentionem facit, & ejus *litora* vocat

vocat *nota*, ſcilicet regiones ei mari adjacentes, inperio terrarum olim illuſtres. Nempe ἡ μεγάλη Μηδία Perſide, Parthia, Hyrcania & mari Caspio ſive Hyrcano claudebatur. Tribuit porro ipſi tibiae Umber poëta, quaſi duci & inperatori, caedes alternas & promiſcuas, quod ea praeiret militibus in expeditionibus & proeliis. „Sed audire videor dicentes: *Ohe, jam ſatis eſt ineptiarum.* In his tamen, & ſimilibus magnifice ſe jactat, atque oſtentat interpres Patavinus. Ego Cimmerias tenebras, mutatione literulae, dispellere ſolebam legens,

dure, *paras Phrygias nunc ire per undas.*

Perſpicuum eſt enim quatuor verſus,

Num jam, dure, *paras Phrygias nunc ire per undas,*
Et petere Hyrcani litora nota maris?
Spargere & alterna communes caede penates,
Et ferre ad patrios praemia dira lares?

militaturo, non autem Cynthiae convenire. *Dure*, vero lectum fuit in libro *Beroaldi*, & aliis forte: ſic enim *Paſſeratius* p. 375. „alii libri, *dure*, ut tibia ipſum *Propertium* objurget:„ in quibus verbis fontem mihi videre videor erroris *Vulpiani.* Caeterum quatuor verſus, *Num jam, dure, paras* —— in editis & vulgatis libris cum praecedentibus & ſubſequentibus non cohaerent. Nec mirum. Tota enim elegia ex membris disjectis conpoſita eſt. Non peſſime tamen referri poſſunt ad eundem, quem principio carminis alloquitur:

Quo fugis ah demens! nulla eſt fuga. tu licet usque
Ad Tanaim fugias, usque ſequetur Amor.

ib. 73.

Nuper enim de te noſtras me laedit *ad aures*
Rumor.

Interpretes aeſtuant & laborant de conſtructione verborum, *noſtras*

me

me laedit ad aures Rumor. Et *Passeratius* quidem plures, eosque contrarios tentat explicatus; *Guyetus* autem corrigere conatur, *illudit* ad aures; *Heinsius* vero, *nostras mi venit ad aures;* vel, *evadit;* vel, *qui laederet;* vel, *se didit;* vel, *mi laeserat;* vel, *pervadit:* sed omnes in explicationibus & emendationibus operam & oleum perdiderunt. Etenim poëta scripsit:

> *Nuper enim de te nostras* pervenit *ad aures*
> *Rumor.*

Ovidius, qui sexcentis locis imitatur *Propertium*, Fast. III, 661.

> *Haec quoque*, *quam referam*, nostras pervenit ad aures
> Fama.

& Metam. V, 256.

> Fama *novi fontis* nostras pervenit ad aures.

Ut omnis autem dubitatio tollatur, ita perspicue legi testor in optimo libro, quem Groninga ad me miserunt officiosissimi & eruditissimi viri *Lennepius* & *Offerhausius.* Quis vero non demiretur gemmam in oculis multorum, tanquam *Palmerii*, *Modii*, atque adeo *Broekhusii*, positam tamdiu latere potuisse? Nimirum pauci sua bona norunt; multi autem,

> *Carbonem*, *ut ajunt*, *pro thesauro venditant.*

ib. 101.

Scaliger corrigit:

> *Haec eadem* haec *ante illam impune & Lesbia fecit.*

E contrario *Broekhusius*, ratus ecthlipsi neglecta, *Iam*, propter caesuram produci posse, praefert antiquam lectionem:

> *Haec eadem ante* illam impune *& Lesbia fecit;*

hunc autem sequuntur *Drakenborchius* ad *Sil.* I, 109. & *Oudend.* ad *Lucan.* V, 526. Ego vero non inficior in ea me esse haeresi, quae peni-

penitus a talibus abhorrere ſolet. Etenim nihil ſimile Grammatici, praeſtantiores quidem, tradunt, atque adeo loca, quibus eruditisſimi viri ſe tuentur, aut ſuſpecta ſunt, aut perſpicue mendoſa; tanquam *Tibulli* I, v, 33.

Huc veniet Meſſala meus, cui dulcia poma
Delia ſelectis detrahet arboribus,
Et tantum venerata virum, hunc *ſedula curet,*
Huic paret, atque epulas ipſa miniſtra gerat;

& *Propertii* II, xii, 1.

O *me* felicem, o *nox mihi candida, & o tu*
Lectule deliciis facte beate meis.

Quis eſt enim, qui non antiquam lectionem praeferat,

O *me* felicem, nox o *mihi candida?*

Quis tam patiens, ut ferre posſit, *cui detrahat, hunc curet, huic paret, gerat?* Doctisſimi quidem viri *Guyetus* & *Heynius* legere malunt, Haec *t. v. v.* nunc *ſ. c.* Nunc *paret: Withofius* autem Encaen. Crit. p. 58--60. *cui* —— detrahat,

Et, tantum venerata virum, cui *ſedula* curet,
Cui *paret, atque epulas ipſa miniſtra gerat.*

In hoc vero *Propertii* verſu codices offerunt,

Haec eadem ante illam jam *impune & Lesbia fecit:*

quod libenter amplector. Ecthlipſis quidem, *jam impune, Propertiana* eſt: II, xxv, 43.

Incipe jam anguſto *verſus includere torno.*

xxii, 20.

Et jam ad *mandatam venimus ecce domum.*

xiii, 33.

Tot jam abiere *dies.*

xx, 4.

Nec jam humore *graves tollere posse comas.*

cui similes sunt, *cum amplexa*, II, xiv, 13. *cum insidiis*, IV, vii, 44. *sum Ausoniis*, IV, iv, 41. *sum Alciden*, ix, 38. *qui aestivos*, III, xix, 3. *quae ingrato*, I, iii, 15. Vides, erudite lector, quam levia sint tela, quibus hiatuum patroni pugnant. Itaque non sequor *Heinsium*, qui vult *Juvenalem* dedisse xv, 7.

Illic caeruleum, *hic piscem fluminis;*

& *Virgil.* Aen. iii, 329.

Me famulo famulam *Heleno transmisit habendam;*

& II, 656.

Nam quod consilium, *aut quae fortuna dabatur?*

nec laudo *Broekhusium* Carm. p. 297. scribentem:

Facta potest manuum? *heu quae suspiria moesto.*

Sunt tamen hodie, qui tales hiatus defendant, defendant autem? immo vero purissimas optimorum poëtarum lectiones vitiosissimis mutent, & incautos juvenes in errorem trahant. Exempla nunc non profero: nam spero fore, ut errantes in viam comiter monstratam tandem aliquando redeant.

ib. 103.

Qui quaerit Tatios *veteres*, durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.

Ante aliquot annos Observ. p. 80. corrigebam:

Latias *veteres*, durasque Sabinas:

nec

nec muto sententiam. Amico quidem doctissimo, *Latias*, non placet, quia Sabinae quoque Latiae fuere: sed primum, qui Geographica tractant, Sabinos Latinis, Latii veteris incolis, faciunt finitimos: deinde similiter populos *Ovidius* distinguit Metam. XIV, 832.

O & de Latia, *o & de* gente Sabina
Praecipuum matrona *decus*.

ib. 105.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae.
Hic mos Saturno regna tenente fuit:
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae Dea cum solo vivere sola Deo?

Douza pater ad v. 108: „ Puto punctum hic collocandum, & post sequentis pentametri finem, *Deucalionis aquas*, loco puncti comma arbitror poni debere, ut cum sequentibus construatur. „ Prius sequor. Etenim sub Saturno Pudicitia regnavisse dicitur. *Ovidius* Her. IV, 131.

Ista vetus pietas, aevo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.

Juvenalis Sat. VI, 1.

Credo Pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu.
Paullatim deinde ad superos Astraea recessit
Hac comite, atque duae pariter fugere sorores.
Antiquum & vetus est alienum, Postume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas.
Viderunt primos argentea secula moechos.

ubi, verſibus trajectis, legendum videtur:

Viderunt primos argentea ſecula moechos:
Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas.

Deinde, non tantum diſtinguendum, ſed &, litera mutata, ſcribendum reor:

At, *quum Deucalionis aquae fluxere per orbem,*
Et poſt antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum ſervare pudicum?

Idem *Vulpio* viſum; ſed ſtatim, mutata ſententia, praetulit:

Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et quum Deucalionis aquae fluxere per orbem:
At *poſt antiquas Deucalionis aquas,*
Dic mihi cet.

Infeliciter. nam, ſi poëtas audimus, Pudicitia, libidinum peccatorumque licentia graviter offenſa, terras deſeruerat,

quum Deucalionis aquae fluxere per orbem.

ib. 117.

Quod ſi tu Grajas, ſive es imitata *Latinas.*

Broekhuſius: „ male correctores inficeti; *ſeu ſis imitata: Albinovanus* etiam produxit τὸ *es* in pulcherrima illa ad Liviam Elegia v. 379.

Nata quod es alte, *quod fetibus aucta duobus.* „

Ego vereor, ne hoc advocato vir elegans cauſſa cadat: aliter enim codices habent: *Heinſius* autem, *Burmanno* probante, dedit, *Nata quod* en alte es; ſcribendum vero putabat, *N. q.* excelſe es, vel, *Nata quod* es celſe; ut in illo *Statii*,

et celſe natorum *aequavit honore.*

Vereor itidem, ne libros *Propertii Broekhuſius* inſpicere neglexerit: in omnibus enim meis eſt, *Q. ſ. t. G.* tuque es; in quatuor autem, tuque

tuque es mirata *Latinas*, quod & in aliis fuisse docet Bibl. *L. Latinii* T. II. p. 61. Jam vero *Virgilius*, aliique *mirari*, pro imitari, frequentant, atque adeo librarii saepe *mirari*, in, *imitari*, mutant. v. *Markl.* ad *Stat.* Sylv. V, 1, 76. Itaque sibi *Broekhusius* habeat adamatum, & pugnaciter defensum, *es imitata;* ego tantisper, *es mirata*, retinebo, dum melius aliquid alius proferat.

XXV, 31.

> *Tu* satius *Musis meliorem* imitere *Philetam.*

Hoc loquendi genus secure *Broekhusius* est imitatus Carm. p. 75.

> *Tu* satius *Coo versum* tenuare *sub antro*
> Incipe, *& ad faciles orgia* ferre *choros.*

At optimorum scriptorum consuetudo fert, ut dicatur, *Satius est imitari Philetam.* v. *Lucret.* V, 1126. *Virg.* Ecl. II, 14. & Aen. X, 59. *Propert.* II, IX, 19. XIX, 51. & *Drakenb.* ad *Liv.* V, XX, 8. LIII, 8. XXXVII, IV, 8. Videant itaque Latinae linguae periti, num sit reponendum:

> *Tu* potius ——— *imitere Philetam;*

aut, *imitare.* Librarii quidem voces permutant, ex. gr. II, IX, 19.

> *Intactos isto* satius *tentare veneno:*

ubi duo codices habent, *potius.*

ib. 67.

> *Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi*
> *Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus;*
> *Utque decem possint corrumpere mala puellam,*
> *Missus & impressis hoedus ab uberibus.*
> *Felix, qui viles pomis* mercaris *amores,*
> *Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.*
> *Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin*

Agricolae domini carpere delicias.
Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae.

Verba,

Felix, qui viles pomis mercaris *amores,*

non cohaerent cum praecedentibus, *tu canis, ut decem mala corrumpere puellam possint:* at cohaerebunt, si refingantur hoc modo:

Felix, qui viles pomis mercatur *amores;*

ut,

Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delicias.

ib. 78.

Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
Quo seges in campo, quo viret uva jugo.

Hoc imitati sunt *Lotichius* Eleg. I, 1, 7.

Nec frugem segetes maturo tempore praebent,
Culta racemiferis nec viret uva jugis.

& *Sannazarius* Epigr. I, III, 10.

infernis non viret uva jugis.

Illud tamen *viret* attento lectori negotium facessit. Saepissime quidem reperias, *virides Baccho colles*, *virides* & *virentes vites*, *viridem Lyaeum*, *viride merum*, *virides uvas;* sed *uvae virides* sunt immaturae. *Cato* Dir. v. 114.

Aut roseis digitis viridem *decerpserit* uvam:
Dulci namque tumet nondum viticula Baccho.

nec

nec aliter *viride merum Martialis* usurpat XIII, 68.

Galbula decipitur calamis & retibus ales,
Turget adhuc viridi *cum rudis uva* mero.

Nam locus *Columellae* XI, II, 76. *His diebus vindemiae pluribus regionibus fiunt, quarum maturitatem alii aliter interpretati sunt. quidam cum vidissent partem aliquam uvarum* virescere, *crediderunt tempestivam esse vindemiam*, corruptus est, uti bene monuit *Gesnerus* V. C. Placetne igitur, erudite lector, *Maronem* dici canere, quibus collibus uvae proveniant immaturae? at rectius docuisset, quibus locis ruberent & maturescerent. An *uva* ponitur pro vite, ut Georg. II, 60? at obstat *seges*, quae paribus laborat incommodis: rectius enim docuisset, quo campo seges flavesceret, & maturesceret. An, *viret*, in, *nitet*, mutandum est? Id, opinor, multis arridebit. Etenim *nitidas fruges*, & *nitentia culta* reperias apud *Lucretium* & *Virgilium: nitens vinetum* apud *Juvenc.* III, 712. &, *nitent Pangaea Lyaeo*, apud *Auson.* in Mosell. 158. Centies item verba permutantur. Novi tamen aliquem, qui suspicetur Umbrum *Callimachum* scripsisse:

Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
Quo seges *in campo*, *quo* venit uva *jugo.*

ita dicet non tantum, quod *Varro* R. R. I, VI, 5. *segetes meliores existimantur esse campestres, vineae collinae;* & *Manilius* II, 19. de *Hesiodo:*

Quin etiam ruris cultus, legesque novandi,
Militiamque soli, quod colles Bacchus amaret,
Quod fecunda Ceres campos:

verum etiam, quibus campis segetes, & quibus collibus uvae proveniant. Apposite *Claudianus* de Mall. Cons. 178.

Nosse soli vires, nemori quae commoda rupes,
Quis felix oleae tractus, quae gleba faveret
Frugibus, aut quales tegeret *vindemia colles:*

ubi

ubi non acceperim *Burmanni* conjecturam,

quales legeret *vindemia colles:*

etenim quaero, quis dixerit, *legit vindemia colles:* at, *tegeret vindemia colles*, loquendi genus est elegans, & *Ausoniano* simile Mosell. 157.

Gauranum sic alma jugum vindemia vestit.

Si quis erit, qui *Propertium* corrigenti non credat, forte *Virgilio* credet Georg. 1, 54.

Hic segetes, *illic* veniunt *felicius* uvae.

Hunc quidem locis innumeris imitatur, versusque dimidios de carminibus sumit, ut I, 11, 10.

Ut veniant *hederae* sponte sua *melius*,

de Georg. 11, 10.

Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipsae
Sponte sua veniunt.

& III, XI, 41.

Dîque Deaeque omnes, quibus *est* tutela *per agros*,

de Georg. 1, 22.

Dîque Deaeque omnes, *studium* quibus *arva* tueri.

& v, 63.

Sed thyae thalamo, aut Orycia terebintho,

de Aen. x, 36.

Inclusum buxo, aut Orycia terebintho.

& II, XXII, 18.

Sed quas ipse suis fecit *Amor* manibus,

de

de Aen. xi, 74.

> Ipſa ſuis *quondam* manibus *Sidonia Dido*
> Fecerat.

& ix, 5.

> *Idem non fruſtra* ventoſas addidit alas,

de Aen. xii, 848.

> ventoſas*que* addidit alas.

Uſus autem multiplex hujus obſervationis eſſe poteſt in emendandis poëtae verſibus, ut III, iii, 41.

> Me juvat *in prima coluiſſe Helicona juventa*,
> *Muſarumque choris inplicuiſſe manus.*
> Me juvat *& multo mentem vincire Lyaeo*,
> *Et caput in verna ſemper habere roſa.*
> *Atque ubi jam venerem gravis interceperit aetas*,
> *Sparſerit & nigras alba ſenecta comas;*
> *Tum* mihi *naturae libeat perdiſcere mores;*
> *Quis Deus hanc mundi temperet arte domum caet.*

ubi cum *Guyeto*, Critico ſagacisſimo, legerim, Me *juvet* coluiſſe, me *juvet* vincire; ut, *libeat perdiſcere:* ſic enim *Virgilius*, ad cujus ſententiam verſus ſuos conformavit, Georg. ii, 475.

> Me *vero primum dulces ante omnia Muſae*,
> *Quarum ſacra fero*, *ingenti percuſſus amore*,
> Accipiant; *coelique vias & ſidera monſtrent:*
> *Defectus ſolis varios*, *lunaeque labores: caet.*
> *Sin*, *has ne poſſim naturae accedere partes*,
> *Frigidus obſtiterit circum praecordia ſanguis;*
> *Rura mihi & rigui* placeant *in vallibus amnes;*
> *Flumina* amem *ſylvaſque inglorius:*

atque adeo *Propertius* II, xxv, 59.

Me juvet *hesternis positum* languere *corollis*,
Quem tetigit iactu certus ad ossa Deus.
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris & fortes dicere posse *rates.*

Nec minor usus est in versibus a prava correctione vindicandis: sed de his [magna enim copia est] alius locus fortasse fuerit agendi.



CAPVT VIII.

Tertius Propertii liber aliquot locis emendatus. Liquor rigat antra, & arva. Arva pomariis junguntur. Arva operosa. Poëtae dici nequeunt carmen hiare, vel, tantum operis hiscere. Vehi nave, non, a nave. Locus, cui videbatur aliquid deesse, parva mutatione facta, correctus. Ornare domum per arma fixa; ornare limina multis donis. Medicina Virgilio facta. Media nominis Omphale syllaba brevis est. Omphalie. Broekhusius quaedam contra carminum leges commisit. Posuisse, & statuisse commutantur. Librarii verba proxime praecedentia in aliorum locum substituunt. Mendum e libris Virgilii sublatum. Propertius ab eorundem verborum repetitione non refugit. Semiramis jussit Bactra caput inperio subdere. Torrida limina. Quidam ferunt Gallos incendisse Delphicum templum. Pythia regna. Ditia templa. Thesauri Delphici bello sacro penitus expilati dicuntur. Brenni tamen aetate non deerant, qui praedandi cupidinem possent incendere. Galli templum spoliavisse feruntur. Cassandra non credita. Dubitatum de loquendi genere, gyrum pulsat equis. Lacaena circum pulsat equis. Circus de hippodromo variarum gentium ponitur. Venatores sectantur feras, non autem canes. Hortari canes. Ovidius a prava correctione vindicatus. Lycinna Propertii rudes animos inbuit per primas noctes cognita, non conscia. Prata Zethi. Prata late cruentantur. Hora dicitur jocis. Cynthia sui vatis elegis, non oculis superba facta est.

Propertius III, 1, 51.

Nec mea Phaeacas aequant pomaria sylvas,
Non operosa rigat *Marcius* antra liquor.

Non

Non damno loquendi genus, *liquor antra rigat:* ſimiliter enim locutus eſt *Catullus* LXII, 27.

Perge linquere Theſpiae
Rupis Aonios ſpecus,
Lympha quos *ſuper* inrigat
Frigerans Aganippae:

quem *Sannazarius* aeque ac *Propertium* videtur imitatus Eleg. III, *1, 6.*

Aonidum perluit antra liquor.

Poëta tamen, mea quidem ſententia, ſcripſit,

Non operoſa rigat *Marcius* arva liquor:

ut *Ovidius* Amor. III, VI, 46.

Nec te praetereo, qui, *per cava ſaxa volutus*,
Tiburis Argei pomifera arva rigas.

ita *pomariis* apte junguntur *arva*, quae *pomoſa*, & *pomifera* dicuntur. *Arva* autem *operoſa* vocant *Plinius* H. N. XVIII, xv, 37. *& vicia pingueſcunt* arva, *nec ipſa agricolis* operoſa. & *Ovidius* A. Am. I, 399.

Tempora qui ſolis operoſa *colentibus* arva
Fallitur, *& nautis adſpicienda putat.*

v. *Burm.* ad Amor. II, XVI, 33. &, quem laudat *Broekh.* ad *Tibull.* I, x, 8. *Antra* vero & *arva* permutari ſolere vidimus Obſerv. p. 27.

II, 4.

HEMSTERHVSIVS ad II, XVIII, 6: verſus ille ſextus,

Marmoreus tacita carmen hiare lyra,

cultisſimo *Sannazario* impoſuit, qui parum inſpecta poëtae noſtri proprietate, id ſibi licere arbitratus eſt, ut ſimilem ad formam ſcriberet I El. XI, 18. II El. II, 12.

 Alti-

Altilius *docto pectore* carmen hiet:

iterumque:

Incipiet posito carmen hiare *mero*:

quae prava aemulatione ad *Propertianam* phrasin efformata haud satis Latine dici, egregie *Broekhusius* animadvertit: poterat quidem *Actius* alterius etiam loci praesidio se tueri III, 11, 4.

Tantum operis *nervis* hiscere *posse meis:*

sed vix induci possum, ut credam, hanc scriptionem a *Propertio* fuisse profectam: dixerit aliquis, Graecos imitatum videri, quorum χανδάνειν pro χωρεῖν, capere, complecti accipiatur: verum illi tum duntaxat usurpant, si quid magno ac patente hiatu circumdatum contineatur: quocirca legendum arbitror,

Tantum operis *nervis* dicere *posse meis:*

nam *dicere* saepius ad poëtas propria virtute pertinet: *R. Bentl.* ad *Horat.* I. Od. VII, 9. neque est, ut quis in voce tam cognita, tamque pervulgata vitium adhaesisse miretur; moveri poterat hic scrupulus, si nullis similibus exemplis testatissima foret librariorum inscitia.

III, 35.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
Nudus ad infernas, *stulte*, vehere *rates.*

Scaliger: „ melior libri nostri lectio:

Nudus ab inferna, *stulte*, *vehere* rate. „

Immo vero melior conjectura nostra:

Nudus at inferna, *stulte*, *vehere* rate.

Quis enim bonus Latinitatis auctor dixit, *a nave vehi*?

V, 21.

Paete, quid aetatem numeras? *quid cara natanti*
Mater in ore tibi eſt?

Forte ſcriptum fuit,

Paete, quid aetatem memoras?

Memoravit autem v. 13.

Quo rapitis miſeros primae lanuginis annos?

VI, 11.

Quae *mulier rabida* jactat *convicia lingua*,
Et *Veneris magnae volvitur ante pedes:*
Cuſtodum gregibus ſeu quum ſe ſtipat euntem,
Seu ſequitur medias Maenas ut icta vias:
Seu timidam crebro dementia ſomnia terrent,
Seu miſeram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi ſum verus aruſpex.
Has certas didici ſaepe in amore notas.

Broekhuſius ad v. 12: „ Ceterum in ſequentibus aliquid excidiſſe, oſtendit ipſe orationis hiatus. Quae mulier convicia facit amatori ſuo, quae Veneris pedes advolvitur; quae cuſtodes ponit; quae Bacchae more in publico lymphatur; quam ſua terrent ſomnia; quam imago vel ignotae puellae in furorem dare poteſt: illa mulier haud dubie amat. ita credibile eſt cohaeſiſſe quondam: nunc nihil tale. „ *Vulpius* autem: „ ſuspenditur ſyntaxis ad v. 17. ubi demum eſt ἀνακολουθον. „ at ſalva res eſt: etenim cuncta verſibus inter ſe congruentibus cohaerebunt, ſi parva mutatione facta refinxeris:

Quum *mulier rabida* jactat convicia *lingua*;
Aut *Veneris magnae* volvitur *ante pedes;*
Cuſtodum gregibus ſeu quum ſe ſtipat *euntem*;
Seu ſequitur *medias*, *Maenas ut icta*, vias;
Seu *timidam crebro dementia* ſomnia terrent;
Seu miſeram *in tabula picta* puella movet;

 His

His ego tormentis animi sum verus aruspex.
Has certas didici saepe in amore notas.

In hac autem correctione mecum fere consentit vir eruditissimus & amicissimus *P. Fonteinius*, qui pariter, *quae*, in, *quum*, putat esse mutandum. *Livinejus* & *Heinsius*, corrigere conabantur,

Quae *mulier rabida jactat convicia lingua*,
Haec *Veneris magnae volvitur ante pedes:*

sed veram corrigendi viam non viderunt.

VII, 23.

Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare *tuam* fixa per arma domum.

Ultimum versum laudans *Broekhusius* ad *Tibull.* I, 1, 54. recte dici vult, *onerare domum per arma:* sed idoneis exemplis non probat antiquos dixisse, *onerare domum*, *templa*, *spoliis*, *tropaeis*, *armis*. Quapropter olim congruenter menti poëtae corrigebam:

Atque ornare *tuam* fixa per arma domum.

ita Latini loquuntur. *Virgilius* Cul. 82.

Non, spoliis *dum sancta Deûm fulgentibus* ornet
Templa.

Lucanus VI, 260.

Non tu bellorum spoliis ornare *Tonantis*
Templa *potes.*

Silius XIV, 653.

Hic Agathocleïs sedes ornata tropaeis.

Sueto-

Suetonius Neron. c. 38. *Tunc, praeter immenſum numerum inſularum, domus priscorum ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc* ſpoliis adornatae. ita Graeci, tanquam *Diodorus* Siculus XIX, 104. Ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Συρακούσας, καὶ τῶν ναῶν τοὺς ἐπιφανεστάτους σκύλοις ἐκόσμησε· Nec diſſimilibus verbis & loquendi generibus utuntur alii, ut *Ovidius* Metam. VIII, 154.

ſpoliis decorata eſt regia fixis;

& Triſt. III, 1, 33.

video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, *tectaque digna Deo.*

ſed, ut poſtea vidi, pariter correxere *Francius* apud *Burm.* Anth. T. I. p. 207. *Heinſius* ad *Vell. Paterc.* II, LXXXVIII, 2. & ante utrumque *Demſterus* ad *Roſin.* V, 28. Eadem vero macula *Virgilii* libris inſidet Aen. X, 619. hoc eodem modo tollenda:

& tua larga
Saepe manu multisque ornavit limina donis.

Ciris quidem loco ſimillimo v. 529. ſcripſit:

Saepe *Deûm* largo decorârat munere ſedes.

Nec aliter *Corippus* IV, 282. *Suetonius* Aug. 30. Vulgatus Interpres *Lucae* XXI, 5. & Graeci, tanquam *Theopompus* apud *Athen.* VI. p. 231. F. ἦν γὰρ τὸ παλαιὸν τὸ ἱερὸν κεκοσμημένον χαλκοῖς ἀναθήμασιν.

IX, 17.

Omphale *in tantum formae proceſſit honorem,*
Lydia Gygaeo tincta puella lacu.

Satis conſtat mediam vocis, *Omphale*, ſyllabam ſemper eſſe brevem. Quare non dubito, quin v. 17. mendum contineat: nam *Daumii* non habeo rationem, qui confugit ad hiatum. v. Syll. *Burm.* T. IV. p. 327. Tollunt autem turpe mendum libri *Voſſ.* & Leid. qui nobis offerunt:

Omphale & *in tantum formae processit honorem:*

etsi nonnullis displicere possit, *Omphale & processit*, inter tot ἀσύνδετα collocatum:

Colchis *flagrantes adamantina sub juga tauros*
Egit.
Ausa *ferox ab equo contra* oppugnare *sagittis*
Maeotis *Danaûm* Penthesilêa *rates.*
Omphale *in tantum formae* processit *honorem.*
Persarum statuit *Babylona* Semiramis *urbem.*

Tollit item regius liber, in quo, teste *Guyeto*, legitur, *Omphalie;* cui scripturae singulari permagnum pondus affert *Diotimus* in Anthol. ms.

Χαῖρέ μοι, ἄβρὲ κύπασσι, τὸν Ὀμφαλίη ποτε Λυδὴ
Λυσαμένη φιλότητ' ἦλθεν ἐς Ἡρακλέους.

sic enim dedit *Salmasius* ad *Tertull.* Pall. p. 301: sic habent apographa duo, quae possideo: sic Lipsiense: nam *Reiskius* V. C. e conjectura, quae libris, & ms. *Propertii* repugnat, edere maluit, Ὀμφάλη, ἥ ποτε Λυδή. *Omphalie* autem, vel, *Omphalis*, quod nulla dote commendatur, *Guyetus* approbabat. *Heinsius* vero ratus „nomen *Omphales* supervacuum esse, idque ex proximo subsequente pentametro satis liquere,„ legendum putabat: *An non* —— ? vel, *Nonne etiam* ——? vel, *Nec non* ——; vel, *Quin etiam* ——. v. Syll. *Burm.* p. 531, 532. & Not. p. 724. Sed haec nemini persuadebit. Non deerunt forte, qui mirentur *Broekhusium* non animadvertisse tam perspicuum mendum: sed mirari desinent, cum cognoverint eum ab hac parte nimis securum fuisse: dedit enim IV, VIII, 39.

Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis.

& XI, 40.

Quique tuas proavus fregit, Achille, *domos.*

& II, XXIII, 101.

Haec

Haec eadem ante illam inpune *& Lesbia fecit.*

& 117.

———————— *sive* es imitata *Latinas.*

Nec minus negligenter scripsit Carm. p. 92. & 224.

Ante tuos, mea vita, pedes cor *ecce repono.*

& p. 252. 92. 59.

Aut in gramineo temere *sic cespite fultus.*

& p. 7.

Hymen *iö, Hymenaee iö, quid gaudia differs?*

& p. 68.

Non equidem strabo *limo tua commoda visu.*

& p. 114.

Non sterilem spondet Ilithyia *domum.*

Haec autem pauca de multis exempla posuimus, non reprehendendi studio, sed ut adolescentes a talibus sibi caverent: nam *Broekhusium* tanti facimus, ut in humanioribus literis & poëtica multum profecisse videantur, quibus ejus scripta vehementer placuerint.

ib. 19.

Ut, qui pacato statuisset *in orbe columnas,*
Jam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit *Babylona Semiramis urbem.*

Heinsius Syll. *Burm.* T. IV. p. 532: „ ——*statuit* odiose hic inculcatur, cum idem verbum praecesserit paulo ante. „ Miror eum non rescripsisse:

Persarum posuit *Babylona Semiramis urbem.*

voces quidem commutantur II, v, 17.

Templa Pudicitiae quid opus ſtatuiſſe *puellis:*

ubi in libro *Voſſ.* ſuper, *ſtatuiſſe*, ſcriptum eſt, *poſuiſſe:* millies item librarii verba proxime praecedentia in aliorum locum ſubſtituunt, tanquam II, v, 25. in nonnullis libris:

Non iſtis olim variabant *tecta figuris:*
Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito variavit *aranea fanum:*

pro, *velavit.* Idem feciſſe videntur Aen. *Virgil.* v, 252.

Intextusque puer frondoſa regius Ida
Velocis jaculo cervos, curſuque fatigat,
Acer, anhelanti ſimilis: quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis:

nam ſcriptum fuiſſe,

quem praepes ab aethra
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis,

probabiliter confici poteſt ex imitatione aperta *Valerii Flacci* I, 156.

Talia contanti laevum Jovis armiger aethra
Advenit, & validis fixam erigit unguibus agnam.

& *Claudiani* B. Gild. 467.

fulvusque Tonantis
Armiger ab *liquida, cunctis ſpectantibus,* aethra
Arreptum pedibus curvis innexuit hydrum.

Hanc autem conjecturam communicavi cum *Burmanno* V. C., quum correxiſſet Anth. T. 1. p. 272. praepes *ab alto*; vel, *praepete penna:* ſed oſtendit jam ſe pariter tentaviſſe, „ vel, *aethra* „: quod nunc in Addendis legitur. Fateor tamen valde incertum eſſe illud *poſuit:* nam *Propertius* a talibus repetitionibus non refugit I, vii, 5, 7. IV, ii, 28, 29, 33. iv, 40, 42. atque adeo, ne pluribus utar exemplis, hujus Eleg. 61, 63.

Hanni-

Hannibalis spolia, *& victi* monumenta *Syphacis.*
Curtius expletis statuit monumenta *lacunis.*

Nec alii refugerunt; ut adolescentulus ostendi Anim. ad *Mus.* c. XIII. Itaque *Bentleji* temeritas est reprehendenda, qui trecentos *Lucani* versus, non alio nomine suspectos, emendare conatus est.

ib. 21.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum immissi per moenia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Euphraten medium, qua condidit arces,
Jussit & imperio surgere Bactra caput.

Scaliger Anim. in *Euseb.* p. 15:,, Propertius ait Semiramidem constituisse Bactra inperii sui sedem, alienane fide, an Poëtarum licentia? ,, Sed, pace magni viri dixerim, non intellexit *Propertium.Asseratius* autem:,, id est, voluit praecipuam urbem totius inperii esse, alias inter urbes caput efferre.,, Sed primum, quis hoc tradidit? Deinde jam tempore Semiramidis urbs erat florentissima, & nobilissima. *Diodorus* Siculus II, 6. ἡ γὰρ Βακτριανὴ χώρα πολλαῖς καὶ μεγάλαις οἰκουμένη πόλεσι, μίαν μὲν εἶχεν ἐπιφανεστάτην, ἐν ᾗ συνέβαινεν εἶναι τὰ βασίλεια· αὕτη δ' ἐκαλεῖτο μὲν Βάκτρα, μεγέθει δὲ καὶ τῇ κατὰ ἀκρόπολιν ὀχυρότητι πολὺ πασῶν διέφερε. Mox vero de more dubitans, & sibi ipse diffidens, quaerit: ,, an *surgere* pro assurgere imperio Babylonis? *caput*, ut, *orbis Roma caput.*,, Sed Latini dicunt, *caput inperii*, *rerum*, *terrae*, non autem nude, *caput.* Quis vero ferre possit loquendi genus, *jussit Bactra caput inperio surgere*, pro, assurgere? Caeteri interpretes de loco difficillimo tacent. nec admodum miror. Quotus enim quisque literatorum hominum invenitur, qui studeat historiae? Ne multa: congruenter historiae corrigo:

Jussit & inperio subdere Bactra caput:

etenim Semiramis, cum Bactrorum obsidio traheretur, arcem, natura & arte munitam, cum delectis militibus inproviso occupavit,

&, omnibus ſubito terrore perculſis, effecit, ut urbs in poteſtatem Nini repente veniret; hic autem, viraginis fortitudinem demiratus, eam non tantum dignis donis ornavit, ſed & forma, ſimulacris omnibus emendatiore, captus, uxorem duxit. v. *Cteſias*, ſive *Diodorus* l. l. *Cteſian* autem poëtae ſequuntur. ita vero ſtructura Babylonis, & expugnatio Bactrorum, quae mulierem maxime nobilitant, aptisſime junguntur.

XI, 53.

Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum,
Dum petit intonſi Pythia regna *Dei:*
At mons laurigero concuſſus vertice diras
Gallica Parnaſi ſparſit in ora nives.

Torrida limina Burmannus in Jov. Fulg. p. 342. interpretatur, ambuſta fulmine divinitus in Gallos miſſo: ſed, ut alias nunc omittam rationes, oppoſitio repugnat:

At mons laurigero concuſſus vertice diras
Gallica Parnaſi ſparſit in ora nives;

docet autem verba capienda eſſe de liminibus igne, quem Brennus injecerat, ambuſtis. Fuerunt enim, qui templum traderent iis temporibus arſiſſe. *Lucanus* v, 134.

ſeu barbarica cum lampade Pytho
Arſit.

v. illic *Oudend.* & *Weſſeling.* ad *Simſon.* Chron. ad A. M. 3726. ſed haec hactenus. *Pythia templa Paſſeratius* exponit „Delphos, *quibus altus Apollo Praeſidet:* —— *regna*, ubi quis dominatur & praeſidet.„ Nec damno: ſic enim poëtae loquuntur, in his *Lucanus* II, 424.

umbroſae Liris per regna Maricae.

v. *Oudend.* ad III, 86. Martem quoque *templorum regem Statius* vocat Theb. VII, 64. *Heinſius* autem *templa*, vel, *tigna*, corrigebat:

bat; quorum poſtremum refutari non debet. Ego vero ſcripſiſſem:

> *Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum,*
> *Dum petit intonſi* ditia templa *Dei:*

ut *Ovidius* Metam. II, 77.

> delubra*que* ditia *donis*.

& *Lucanus* IX, 515.

> *Non illic Libycae poſuerunt* ditia *gentes*
> Templa..

templa placuiſſent, quia de *torridis liminibus* praecedente verſu ſermo eſt; *ditia*, quia epitheton multo melius eſt, quam *Pythia:* nam *Pythia* ſententiam poëtae nihil adjuvat, cum ſubſecuta Parnaſi mentio doceat agi de templo Delphico: at *ditia* & loco, & hiſtoriae congruit: loco, quia prolatis exemplis probat omnes, victa pietate, aurum colere: hiſtoriae, quia divitiae templi, fama celebratae, Brennum, Gallosque inpulerunt, ut bellum Delphis inferrent. *Tzetzes* Hiſt. Chil. XI, 393. Schol. *Callim.* ad H. in Del. 175. *Pauſan.* I, IV. p. XI. *Diodor.* Sic. XXII, Ecl. XIII. Non me fugiunt teſtimonia graviſſimorum ſcriptorum de theſauris Delphicis, Phocenſium ſcelere penitus expilatis, ut *Ephori* apud *Athenaeum* VI. p. 232. E. Ὀνόμαρχος δὲ καὶ Φάϋλλος καὶ Φάλαικος, οὐ μόνον ἅπαντα τὰ τοῦ θεοῦ ἐξεκόμισαν, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον αἱ γυναῖκες αὐτῶν τόν τε τῆς Ἐριφύλης κόσμον ἔλαβον. & *Poſidonii* apud *Strabon.* IV. p. 287. tradentis Delphicum templum κατ' ἐκείνους ἤδη τοὺς χρόνους ὑπάρξαι κενὸν, τῶν τοιούτων σεσυλημένων ὑπὸ τῶν Φωκέων κατὰ τὸν ἱερὸν πόλεμον· εἰ δὲ καὶ τι ἐλείφθη, διανείμασθαι πολλούς. Sed primum teſtes, quos antea citavimus, affirmant Gallos voluiſſe τοῦ θεοῦ τὰ χρήματα διαρπάσαι· Deinde poſt ſacrilegia Phocenſium ſuperfuiſſe, quae praedandi cupidinem poſſent incendere, *Juſtinus* teſtatur XXIV, VI, 5, 10. VII, 10. *Brennus, ad acuendos ſuorum animos, praedae ubertatem omnibus oſtendebat, ſtatuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul viſebatur, ſolido auro fuſas eſſe; plusque in pondere, quam in ſpecie habere praedae adfirmabat:* cui teſtimonio permagnum pondus addit aequalis Brenno *Callimachus* H. in Apoll. 35.

πολυχρύσος γὰρ Ἀπόλλων,
Καί τε πολυκτέανος· Πυθῶνι τε τεκμήραιο.

Postremo non desunt, qui templum a Brenno putent expilatum fuisse. v. *Wesseling.* ad *Simson.* Chron. A. M. 3726. *Diodorus* Siculus V, 21. Οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ τὴν μὲν Ῥώμην ἑλόντες, τὸ δὲ ἱερὸν τὸ ἐν Δέλφοις συλήσαντες. Nec aliter forte scripsit *Propertius.* Facilis quidem lapsus est a, *ditia*, ad, *pitia;* nam librarii *d* in *p*, sive *D* in *P* saepe mutant. v. *Markland.* ad *Stat.* Sylv. IV, v, 24. & *Drakenborch.* ad *Liv.* XLIII, VI, 9. Saepe itidem propria pro nominibus appellativis ponunt, ut *Propertii* I, XIV, 19. *Arabium* limen, pro, *auratum*, quod feliciter *Heinsius* reposuit; II, VI, 27. *Marte*, pro, *matre;* XX, 16. *Johanna*, pro, *puella;* XXIII, 103. *Drusos*, pro, *duros;* III, V, 22. *Maria*, pro, *Mater;* IV, VI, 16. *Samos*, pro, *sinus;* VIII, 23. *Volsci*, pro, *volsi;* X, 27. *Volscûm*, pro, *vos tum;* 10. *Hector*, pro, *horror.* Interdum quoque *regna*, & *templa* confundunt, ut II, XXI, 54.

Et Thebae, & Priami diruta regna *senis.*

ubi *templa* liber *Voss.* exhibet. Tutius tamen erit servare *regna;* quae boni scriptores *opulenta* & *ditia* vocare solent, v. gr. *Tacitus* Ann. XII, 29. *fama* ditis regni, *quod Vannius praedationibus & vectigalibus auxerat.*

ib. 61.

Certa loquor, sed nulla fides. neque enim Ilia *quondam*
Verax Pergameis Phoebas habenda malis.

sic habent editi & manuscripti libri: nam *Brockhusius*, qui sentiret haec non cohaerere, codicis unius auctoritate maluit edere,

neque Ilia *quondam*
Verax Pergameis Phoebas habenda malis;

quod explicat: „Ego quidem vera cano, sed nemo mihi credit: ita neque Cassandrae creditum est olim, quum tot mala patriae suae vaticina-

vaticinaretur.,, Sed quis illi dabit, *habenda verax*, notare, *verax habita fuit?* Quis feret hiatum, *neque Ilia?* ſententia poſtulat:

Certa loquor, *ſed nulla fides.* nec credita *quondam*
Verax Pergameis Phoebas habenda malis.

ita veteres de Caſſandra loquuntur. *Virgilius* Aen. II, 247.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, *Dei juſſu* non unquam credita *Teucris.*

ubi v. *Cerda.* Haec autem conjectura, quae mihi videbatur audax, & cum ſexcentis aliis in annum nonum premenda, felix amico videbatur, cujus judicio plurimum tribuo.

XII, 11.

Gyrum *pulſat equis*, *niveum latus enſe revincit*,
Virgineumque cavo praetegit aere caput.

Paſſeratius: ,, Mirum genus loquendi, *pulſat gyrum equis*, pro pulſando & verberando cogit in gyrum flecti. An eſt hypallage, pro *equos pulſat gyro*, inpellit & incitat in gyrum. vet. lib. *gyro*, *equo.* An, *gyro pulſat equos?* & *pulſat*, pro pellit?,, ita fluctuabat. *Vulpius* autem: *gyrum* pulſat equis. nempe campum, in quo flectebant & exercebant equos, hippodromum. ,, Sed quis ita locutus eſt? quis *gyrum* vocavit hippodromon? Ego dudum correxi:

Circum pulſat equis;

ut *Ovidius* Am. III, XV, 18.

Pulſanda eſt *noſtris* area *major* equis.

Hoc quidem loquendi genus a ſuperiore differt, quod in illo Lacaena *circum pulſat equis*, in hoc *equi pulſant aream;* ſed ſimilibus tamen probatur *Valerii Flacci* III, 20.

Dindyma ——————————————

Dum

Dum volucri quatit *asper* equo, *sylvasque fatigat*
Cyzicus;

v, 612.

alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen;

& *Maronis* Aen. x, 215.

almaque curru
Noctivago Phoebe *medium* pulsabat Olympum.

Circus autem de hippodromis variarum gentium ponitur a poëtis. v. *Virgilius* Aen. v, 551. *Statius* Theb. vi, 254, 492. *Silius* xvi, 312, 322, 338, 398. *Sidonius Apollinaris* xiv, 12.

Haec scripseram, cum Bibliothecam *Latini Latinii* nactus T. ii. p. 62. notatum reperi: Gyrum] *circum* alias.

xiii, 13.

Et modo Taygeti crines adspersa pruina
Sectatur *patrios per juga longa* canes.

Quid? an venatrices *sequuntur canes?* quis vidit, aut scripsit? Apud *Virgilium* quidem, *Gratium*, *Ovidium*, *Senecam*, *Statium*, *Silium*, *Boëthium*, & alios, venatores leguntur *sequi*, *sectari*, *consequi feras.* Exempla nonnulla posuere *Cerda* ad *Virg.* Ecl. iii, 75. & *Drakenborchius* ad *Sil.* xiv, 261. quibus permulta possemus adjungere, si tempus in docenda re nota consumere vellemus. Placet igitur corrigi,

Sectatur patrias *per juga longa* feras?

minime; sed ocyus reponendum censeo:

Hortatur *patrios per juga longa* canes:

quod loquendi genus in hac re proprium est, & scriptoribus usitatum. v. *Pricaeus* ad *Appul.* Metam. viii. p. 439. ad ix. p. 560. & *Vlitius* ad *Nemes.* Cyneg. 196.

Nec

Nec non consuetae norint hortamina *vocis:*

ubi monet, *hortari canes*, esse, incitare & clamando propellere. *Naso* Metam. x, 537.

*Hortatur*que *canes.*

& Heroïd. iv, 40.

In nemus ire libet, pressisque in retia cervis,
Hortari *celeres* per juga *summa* canes.

viden', erudite lector, totum pene versum de more imitatione expressum ex *Propertiano* per me restituto? Nec est, quod te terreat discrepantia verborum, *hortari*, &, *sectari:* nam librarii quidam pariter in *Ovidii* loco scripsere, *citari*, *sectari;* quod *Heinsio*, placere potuit: at redarguitur insolente loquendi genere, & *Euripidis* Hippol. v. 218.

Βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριμπτομένα,
Πρὸς θεῶν ἔραμαι κυσὶ θωΰξαι·

haec enim Graeca Romanum poëtam exprésſisse dudum docuit *Vlitius* ad *Nemes.* l. c.

xiii, 3.

Ut mihi praetexto pudor evelatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia *primas*
Imbuit, heu! nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus,
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor; nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Haec docent *Propertium* cum Lycinna prius consuevisse, quam cum Cynthia. Itaque Lycinna non fuit *conscia;* sed

rudes animos per noctes cognita *primas*
Inbuit.

ib. 35.

Sera tamen pietas, natis & cognitus error.
Digne, Jovis natos qui tueare, senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Jovem. tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, *victorque canebat*
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

Palmerius Antiq. Graec. p. 451: „Si non ad vulgarem vulgi trutinam, sed ad exactam artificis stateram examinetur *Propertii* locus, quis probabit, *Prata cruentantur Zethi?* Nam Zethus antea Thebanis incognitus & pro notho ab omnibus habitus prata aut praedia non poterat possidere in Thebarum vicinia sub Dirces inimicae imperio. cet.„ Huic incommodò medetur ex parte *Passeratius*, *prata Zethi*, interpretatus, „in quibus armenta pascere solebat:„ nec tamen mentio *pratorum Zethi cruentatorum* valde placet post verba,

tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis *mortem habitura* locis:

Heinsii enim correctio facta Adverf. p. 92:

incultis *mortem habitura* locis,

refellitur loco *Nasonis* Trist. III, IX, 27.

divulsaque membra per agros
Dissipat, in multis *invenienda* locis.

Ego congruenter antecedentibus scripsissem:

Prata cruentantur late;

ut

ut *Seneca* Hippol. 1093. loco perappoſito:

Late cruentat arva.

Nec aliter forte ſcripſit poëta. *Zethus* quidem & *laetus* a librariis permutantur Anth. *Burm.* T. II. p. 317. & hoc ipſo *Propertii* loco. In alia diſceſſit *Guyetus* emendare conatus, *Prata cruentantur* Zetho; quod & *Beroaldo* placuiſſe creditur: at poëta convenienter aliis affirmat Zethum & Amphionem pariter Dircen ad bovem deligaviſſe: quî igitur, bove mulierem per diverſa loca raptante, Zethus unus *prata cruentare* dicatur? In notis autem *Livineii* reperio: „ *Prata cruentantur*, *Zethi victorque can.* puto;„ quod me non intelligere fateor.

XXI, 23.

Hic Anio Tiburne fluis, *Clitumnus ab Umbro*
Tramite, & aeternum Marcius humor opus;
Albanusque lacus ſocii Nemorenſis ab unda,
Potaque Pollucis nympha ſalubris equo.

Praeſtaret,

Hic Anio Tiburte fluit, *Clitumnus ab Umbro*
Tramite.

Illud reperitur in antiquis editionibus; hoc requirere videntur *Clitumnus*, *Marcius humor*, *Albanus lacus*, & *nympha Pollucis equo pota.*

XXII, 11.

Forſitan haec illis fuerint mandata tabellis:
Iraſcor, *caet.*
Aut dixit, *Venias hodie*, *ceſſabimus una:*
Hospitium tota nocte paravit Amor.
Et quaecunque volens reperit non ſtulta puella,
Garrula cum blandis ducitur hora dolis.

 Heinſius

Heinsius Not. p. 738. legit e mſ.

Garrula cum blandis ducitur hora jocis.

Ego malim:

Garrula cum blandis dicitur hora jocis;

ut apud *Terentium*, *hic nuptiis dictus eſt dies.* *Dicitur* habet liber Groninganus.

XXIII, 1.

Falſa eſt iſta tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis *nimium facta ſuperba meis.*
Noſter amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Verſibus inſignem te pudet eſſe meis.

Cum juvenis in paucis ingenioſus de his *Propertii* verſibus, a ſe conjectura tentatis, aliquando me conſuleret, ex tempore reſpondi poëtam videri ſcripſiſſe:

Falſa eſt iſta tuae, mulier, fiducia formae,
Olim elegis *nimium facta ſuperba meis.*

Nec ſententiam muto. Nam ſubita conjectura loco congruit, & probatur v. 4.

Verſibus inſignem te pudet eſſe meis;

& IV, 1, 135.

At tu finge elegos, *fallax opus;*

atque adeo *Fonteinii*, pariter corrigentis, conſenſu; cujus ego prudens limatumque judicium ſuſpicio.



CAPUT



CAPVT IX.

Aliquot menda de quarto Propertii libro ſublata. Apertus equi lignei venter non laeſit penates. Deſultor leve corpus alterno equo trajicit, non pondus. Sex verſus in alium locum trajecti. Nomina Vertumni. Britannia picto vultu, non curru. Amor major eſt in apta conjuge. Puella lanis colendis aſſueta. Non te terreat, quod claſſis remigat. Inprobata Cuningami conjectura in Statio. Lethaeus liquor ora tingit, non terit. Verſus Carminis, in Anthologia Burmanni editi, de Propertii, Sannazariique verſibus videtur ſumtus. Lethaeus color ora tingit. Ordo verſuum Propertianorum bis immutatus. Morientes ultionem ſui commendabant. Nomas. Cacus incola fuit Aventini montis, accola Palatini. Voces permutantur. Valerius Flaccus correctus; tentati Tullius & Claudianus. Alia. Damnata verſuum trajectio, quae Paſſeratio, Broekhuſioque placuit. Funera ſedes infernas intrant, non leges. Umbroſi loci dicuntur obſerari, non rogi. Ulva pedes inplicat. Lenire ſenectam. Fama laudat emeritum torum, non rogum. Torus, conjux. Inſignis trajectio verſuum in ultimo carmine notata.

Propertius IV, 1, 39.

Huc melius profugos miſiſti, Troja, penates.
O quali vecta eſt Dardana puppis ave!
Jam bene ſpondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeſerat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati tremulus cervice pependit,
Et verita eſt humeros urere flamma pios.

Auctor Elect. Etonens. Maj. p. 161. ad v. 41: „Quam? Trojam? at profecto laeſit, quam in cineres vertit. an puppim igitur, cum iſte apertus eſt, nondum aedificatam? Unam nos hinc expediendi rationem cerno, ſi praecedenti verſu *pubis*, non *puppis*, legendum cenſeatur. Collectam ſc. exilio pubem, mediis elapſam Achivis, non inepte dixerit nihil laeſam ab erumpentibus ex equo durateo inſidiis. Sic vero vitii quoque fontem cernimus, ignotum deſcriben-

 tibus

tibus nominativum. „ Placet argumentum, quo vir eruditus docet in verbis prolatis mendum latere, correctio non placet: nam quis in Augustei seculi poëta ferat,

O quali vecta est Dardana pubis *ave?*

At certo certius est *Propertium* scripsisse:

Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illos
Laeserat abiegni venter apertus equi;

hoc est, penates v. 39. memoratos:

Huc melius profugos *misisti, Troja*, penates.

& v. 48.

Felix terra tuos cepit, Jüle, Deos.

Nempe Troja, superstitibus Deis penatibus, nondum funditus eversa putabatur. v. *Heyn.* ad *Virg.* Aen. 1, 378. Exc. XII. qui erudite de penatibus his agit ad lib. II. Exc. IX. p. 248.

II, 35.

Est etiam aurigae species Vertumnus, & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus *equo.*

Notum est, *pondus*, de sessore, sive equite frequentari. v. *Burm.* Obs. Misc. Vol. I. p. 381. Vellem tamen interpretes docuissent, ipsum desultorem commode dici, *leve pondus* trajicere. Mihi quidem non satisfacit. quod si corrigas,

Trajicit *alterno qui* leve corpus *equo*,

loquendi genus satisfaciet: similiter enim locuti sunt *Tibullus* IV, 1, 14.

Ipse tamen velox *celerem* super edere corpus
Gaudet equum.

&

& *Ovidius* Faſt. IV, 782.

Trajicias *celeri* ſtrenua membra *pede.*

& ipſe *Propertius* IV, 76.

Trajicit *immundos ebria turba* pedes.

ac video voces a librariis mixtas eſſe in *Ovid.* Metam. III, 621.

Non tamen hanc ſacro violari pondere *pinum*
Perpetiar:

ubi in uno libro ſcripſere, *corpore.*

ib. 37.

Suppetat hoc, pisces calamo praedabor; & ibo
Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.
Paſtorem ad baculum poſſum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre roſam.
[Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura eſt,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brasſica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante meae.]
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.

Sex verſus,

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura eſt,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brasſica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante meae.

non faciunt ad verſam formam, de qua Vertumnus exponit, ſed ad primi-

primitias olerum, florumque pratenſium, quas Vertumnus, olitorum Deus, ab olitoribus ſibi narrat offerri. Quapropter non dubito, quin eos librarii ſua ſede moverint; praeſertim cum cuncta, ſublatis iis, praeclare cohaereant:

Suppetat hoc, piſces calamo praedabor; & ibo
Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.
Paſtorem ad baculum poſſum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre roſam.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomina Vertumni patria lingua dedit.

Sunt autem reponendi poſt v. 18. hoc modo:

Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni Tuſcus credidit eſſe ſacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces ceraſos, hic autumnalia pruna
Cernis, & aeſtivo mora rubere die.
Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona,
Cum pyrus invito ſtipite mala tulit.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura eſt,
Hortorum in manibus dona probata meis.
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & iunco braſſica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante meae.

ſic arborum primi fetus, & olerum florumque pratenſium primitiae commode junguntur, ut *pomaria* & *horti* junguntur apud *Ovid.* Metam. XIV, 624, 689. & *Colum.* X, 228.

ib. 47.

At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu *patria lingua dedit.*

Paſſeratius: ,, *ab eventu*, ab effectu, (a vertendo ſcilicet) quia, quae

quae efficiuntur, eveniunt.,, Si talis interpretandi licentia detur, nihil erit, quod non faciles habeat explicatus. E contrario *Guyetus* haud dubitabat versus ὀβελίζειν. tanta erat intelligendi desperatio. Sed immitis est medici laesam corporis partem, quae sanari possit, amputare: vulnus autem *Propertio* datum sic commode curari potest:

At mihi, *quod* formas *unus* vertebar in omnes,
Nomen Vertumni patria lingua dedit;

aut,

Nomina Vertumni ——————:

ut, *nomina*, pro, nomen, occurrit v. 50.

Unde hodie Tuscus nomina vicus habet.

& *Ovid.* Fast. IV, 70.

Et quod *adhuc* Circes nomina litus habet.

Caussas nominis Deus adfert addens semper nomen Vertumni v. 9.

At, *postquam ille suis campum concessit alumnis*,
Vertumnus verso *dicor* ab amne *Deus*.

& XI.

Seu quia vertentis *fructum praecepimus* anni,
Vertumni *Tuscus credidit esse sacrum.*

Itaque & hic, ubi veram nominis causam se dare jactat, *Vertumni* nomen requiritur:

At mihi, *quod* formas *unus* vertebar in omnes,
Nomina Vertumni *patria lingua dedit.*

III, 7.

Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus;
Te modo munito Sericus hostis equo;

 Hyber.

Hybernique Getae; pictoque Britannia curru;
Ustus & Eöa decolor Indus aqua.

Gentibus certa & propria dantur epitheta, aut aliquid tribuitur, quo distingui possint ab aliis. ita Getae vocantur *hyberni*; *munito* Sericus hostis equo; &, Indus *decolor Eöis equis ustus.* At Britannis nec *Caesar*, nec *Tacitus*, qui magna cum cura de iis scripsere, nec alii, quod meminerim, *pictos currus* uspiam dedere. nam quod interpretes conferunt II, 1, 86.

Esseda caelatis *siste* Britanna jugis;

miror eos non vidisse multum differre inter *pictos currus*, & *esseda caelatis jugis;* atque adeo Maecenatis esseda memorari. Itaque mendum latet in verbis,

pictoque Britannia curru.

Id autem, Criticis plaudentibus, hoc modo correxi:

pictoque Britannia vultu:

pictos enim *vultus* plurimi Britannis tribuere. v. Observ. 1, 1. *Martialis* XIV, 99.

Barbara de pictis *veni bascauda* Britannis.

Claudianus de Laud. Stilich. II, 247.

Inde Caledonio velata Britannia *monstro*,
Ferro picta genas.

Pariter autem regiones pro gentibus ponuntur. *Manilius* IV, 750.

laxo Persis *amictu*
Vestibus ipsa suis haerens.

715.

Flava *per ingentes surgit* Germania *partus.*

Gallia

Gallia *vicino minus est* infecta rubore.
Asperior solidos Hispania contrahit artus.

720.

Perque coloratas *subtilis* Graecia gentes
Gymnasium *praefert* vultu, fortesque palaestras.
At Syriam *produnt torti per tempora crines.*

729.

Mauritania nomen
Oris habet, *titulumque suo fert ipsa* colore.

Voces vero confunduntur in *Virgilii* Culice v. 326.

Huic gerit aversos *proles Laërtia* vultus;

ubi quidam codices habent, *regit eversos currus;* unde *N. Heinsius* ad *Ovid.* A. A. II, 138. feliciter restituit:

regit aversos *proles Laërtia* currus.

Curru forte librariis in *Propertii* loco placuit, ut *equis* congrueret.

ib. 49.

Omnis amor *magnus*, *sed* aperto in conjuge *major:*
Hanc Venus, *ut vivat*, *ventilat ipsa facem.*
Nam mihi quo ——

Conjux apertus cum sententia non optime convenire videtur; nec, *amor in aperto conjuge*, satisfacit: ubi enim reperiatur, *amor in marito*, pro, *erga maritum*, ignoro. Utrique incommodo nostra correctio medebitur:

Omnis amor *magnus; sed* in apta conjuge *major.*

Sic enim Latini loquuntur. *Ovidius* Heroïd. XVII, 191. Pont. I, VII, 32.

Metam. XIII, 756.

Nec, si quaesieris, odium Cyclopis, amor*ne*
Acidos in nobis fuerit *praesentior*, *edam.*

& IV, 234.

Invidit Clytie, [*neque enim moderatus* in illa
Solis amor fuerat.]

uti recte *Barthius* & *Heinsius* e libris correxerunt. *Apta conjux* item vocatur, ut III, XXII, 44.

venturae conjugis aptus amor.

Deinde voces, *aptus*, &, *apertus*, saepissime commutantur. v. *Drakenborch.* ad *Liv.* XXXI, XXII, 8. qui caussas explicat. Postremo *Passeratii* vet. lib. habuit, *in* apto *conjuge.*

ib. 53.

Omnia surda tacent: raris*que assueta* Kalendis
Vix aperit clausos una puella lares.

Martialis, Umbri vatis imitator, IV, LXVI, 3.

Idibus, & raris *togula est excussa* Kalendis.

Sed, *puella raris Kalendis assueta*, ferri non potest. Et *Heinsius* quidem [Adverf. p. 11.] tentabat, *radiis assueta coloque*, vel, *arvisque assueta colendis*; *Struchtmeyerus* autem, *lanis assueta*, Animadv. Crit. p. 166: me vero meae conjecturae, cum multis olim communicatae, nondum poenitet:

Omnia surda tacent: lanis*que assueta* colendis
Vix aperit clausos una puella lares.

Loquendi genus, *lanas colere*, tuetur imitatio *Nasonis* A. A. II, 219.

Inter Iöniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, *&* lanas excoluisse *rudes*.

Similis item constructio reperitur Pont. III, III, 107.

At tua supplicibus *domus est* adsueta juvandis.

Assueta lanis autem dicitur, ut *Virg.* Aen. VII, 805.

non illa colo, calathis*que* Minervae
Femineas adsueta manus.

Sed hanc conjecturam *Wakkerus*, juvenis pereruditus, in his diebus occupavit Amoen. Liter. p. 103. cui, *pervenit*, quod poëtae II, XXIII, 73. restitui p. 136. pariter placuisse [p. 88.] video.

VI, 47.

Nec te, quod *classis centenis* remiget *alis*,
Terreat: *invito labitur illa mari.*
Quodque vehunt *prorae Centauros saxa minantes*,
Tigna cava, *&* *pictos experiere metus.*

Imitatur *Broekhusius* Carm. p. 355.

Nec te, quod *cultu non* sis speciosa *decoro*,
Terruerit: *lacrimis sic eris apta novis.*

Malim tamen,

Nec te, quod *classis centenis* remigat *alis*,
Terreat.

Hanc mutationem confirmat primum v. 49.

Quodque vehunt *prorae Centauros saxa minantes*;

deinde *Vossii* liber, in quo super ultimas literas verbi; *remiget*, scriptum est, *at*; postremo *Statii* imitatio Sylv. III, I, 110.

Nec te, quod *solidus contra* riget umbo *maligni*

 Montis,

Montis, & immenso non unquam exesus ab aevo,
Terreat, *ipse adero & conamina tanta juvabo:*

nam *Cuningamus* in notis ineditis, quas vir eruditisſimus & amicisſimus *Albr. Gronovius* mecum communicavit, fruſtra tentabat,

qui *ſolidus contra* riget umbo.

VII, 3.

Cynthia namque meo viſa eſt incumbere lecto.
Eosdem habuit ſecum, quibus eſt elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri veſtis aduſta fuit.
Et ſolitam digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat *ora liquor.*

Ad hunc v. *Paſſeratius* notat: ,, i. e. aqua fluvii Lethes, quia mortui, ut *Virgilius* ait VI. Aen.

Securos latices, & longa oblivia potant.

Triverat, paulatim minuerat ſaepe bibendo; quia & ſilex liquore teritur. —— *Ora ſumma*, primorem oris partem, I. labra ipſa ſaepe ea rigando & alluendo. ,, Sed quis *labra* nuper mortuorum *Lethaeo liquore trita* legit? Ego praeferrem,

Summaque Lethaeus tinxerat ora liquor.

Sannazarius, imitator *Propertii*, Eleg. I, VI, 19.

Te non immemorem charae fore conjugis unquam,
Etſi Lethaeus tingeret ora liquor;

qui forte non aliter legit; & Auctor carminis, quod exhibetur Obſerv. Miſc. Vol. II. p. 403. & Anthol. *Burm.* T. II. p. 139.

Tu cave Lethaeo contingas ora liquore,
Et cito venturi ſis memor oro viri.

Hoc tamen carmen, quod ſagaciter item ſubodoratus eſt *Burmannus*,

nus, nuper confictum eſt, ut alia non pauca, quae ſimplicibus Itali, & Angli fallacisſime venditant; verſus autem, *T. c. Lethaeo contingunas ora liquore*, de *Sannazarii* & *Propertii* carminibus eſt deſumtus. Verba vero, *tinctus*, & *tritus* miscentur in *Ovidii* libris Pont. IV, VI, 34.

Sed forte non deerunt, qui loco congruentius hoc amplius corrigendum putent,

Summaque Lethaeus tinxerat ora color;

ut apud *Petronium* Fragm. p. 669.

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

& *Silium* XII, 243.

niveosque per artus
It Stygius color.

ibid. 32.

Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto buſta piare cado.
[Lygdamus uratur: candeſcat lamina vernae.
Senſi ego, cùm inſidiis pallida vina bibi.
Aut Nomas arcanas tollat verſuta ſalivas.
Dicet damnatas ignea teſta manus.]
Quae modo per viles inſpecta eſt publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade ſignat humum.
Et graviora rependit iniquis penſa quasillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.
Noſtraque quod Petale tulit ad monumenta corollas,
Codicis immundi vincula ſentit anus.
Caeditur & Lalage, tortis ſuſpenſa capillis,
Per nomen quoniam eſt auſa rogare meum.
[Te patiente, meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti e noſtro dotem habitura rogo.]
Non tamen inſector, quamvis mereare, Properti.

Hoc

Hoc ordine versus in pervulgatis & mss. libris disponuntur: at perturbatione peccatum videtur: ex verbis enim, *dotem habitura*, perspicuum est versus 47, & 48.

Te patiente, meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti ex nostro dotem habitura rogo,

pertinere ad amicam novam *Propertii*; sed secundum ordinem, quo nunc disponuntur, pertinent ad Lalagen; quod absurdum: nam Cynthiae memoriam colebat, ideoque ab amica nova vexabatur;

Caeditur & Lalage, tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.

Versus itaque 47 & 48. sic aptius post 39 & 40. ponentur:

Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum.
Te patiente, meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti ex nostro dotem habitura rogo.

Sic item praeclare cohaerebunt:

At graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est;
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta corollas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur & Lalage, tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti.

Nam sequor *Marklandum*, qui, *et*, in, *at*, mutari volebat ad *Stat.* Sylv. p. 243.

Praeterea non dubito, quin versus 35. cum tribus subsequentibus

[Lygdamus uratur: candescat lamina vernae:
[Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.]

Aut

Aut Nomas arcanas tollat verſuta ſalivas.
Ducet damnatas ignea teſta manus.]

alio pertineat. Mecum facit *Scaliger*, qui, ſequente, ut ſemper fere, *Broekhuſio*, poſt 42 collocat hoc modo:

Caeditur & Lalage tortis ſuspenſa capillis,
Per nomen quoniam eſt auſa rogare meum.
Lygdamus uratur. candeſcat lamina vernae.
[Senſi ego, cum inſidiis pallida vina bibi.]
Aut Nomas arcanas tollat verſuta ſalivas.
Ducet damnatas ignea teſta manus.
Te patiente, meae conflavit imaginis aurum.

ſic autem exponit: „ Μίμησις ex perſona ipſius novae amicae. Uratur Lygdamus, quia conſuluit ſagam Nomada ſuper nova amica, quae fortaſſe ad ejus interitum ſpectabant, aut tale quid. „ quod per ſe perſpicue falſum, & abſonum eſt. Aptius vero poſt v. 72. aut 76. collocabuntur hoc modo:

Sed tibi nunc mandata damus.
Nutrix in tremulis ne quid deſideret annis
Parthenie.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab uſu eſt,
Ne ſpeculum dominae porrigat illa novae.
Lygdamus uratur: candeſcat lamina vernae:
[Senſi ego, cum inſidiis pallida vina bibi.]
At Nomas arcanas prodat verſuta ſalivas:
Ducat damnatas ignea teſta manus.
Et quoscunque meo feciſti nomine verſus,
Ure mihi.

Eo ducunt conjunctivi, *deſideret*, *porrigat*, *uratur*, *candeſcat*, *prodat*, ut bene *Beroaldus*, & liber mſ. ac *ducat*, pro quo viri docti reponunt, *ſiccet*, *urat*, *ſignet*. Ut autem morientes ſaepe ſcriptis aut voce vindictam ſui mandabant, [v. *Briſſon.* de Form. VII, 156. & auctor libri Reg. I, II, 5, 8, 9.] ſic Cynthia, quae Lygdamum & Nomada venenum ſibi dediſſe putabat, poſt mortem mandaviſſe fingitur,

 gitur,

gitur, ut ignis, ardentes laminae, aliique cruciatus ad extorquendam veritatem veneficis admoverentur. Haec vero mandata rectius in Cynthiam, quam novam amicam convenire, liquet ex Eleg. VIII, 68, & 79. ubi pariter *Propertio* de Lygdami poena mandat:

Lygdamus inprimis, omnis mihi caussa querelae,
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.

Caeterum *Lygdamus*, & *Nomas* congruenter huic poëtae loco junguntur in Inscript. antiq. apud *Gruter.* p. CCCLXXXIII. n. 3. ne quis cum *Vulpio* somniet de Afra venefica.

IX, I.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos pecorosa palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola *Cacus erat, metuendo raptor ab antro,*
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.

Cacus tenebat Aventinum montem, non autem Palatinum. *Virgil.* Aen. VIII, 230. *Ovid.* Fast. I, 551. VI, 81. *Columella* I, III, 7. *nisi Autolycus ille cuiquam potuit tolerabilis esse conterminus; aut* Aventini montis incola, Palatinis *ullum gaudium* finitimis suis, Cacus *attulit.* Itaque legendum est:

Accola *Cacus erat.*

Apposite *Livius* I, 7. Palatinum, *in quo ipse erat educatus, muniit: sacra Diis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Euandro instituta erant, fecit. Herculem in ea loca Geryoni boves manu sua abegisse memo-*

memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua, prae se armentum agens, nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo laeto reficeret boves, & ipsum fessum via procubuisse. ibi *quum eum cibo vinoque gravatum sopor oppressisset,* pastor accola ejus loci nomine Cacus ——: in quibus & alia simillima vides, ex. gr. *ut pabulo laeto reficeret boves,* &, *ipsum fessum via procubuisse,* &, *statuit fessos fessus & ipse boves.* Frequenter autem librarii vocem, *incola,* in locum, *accola,* substituerunt, ut apud *Curt.* IV, v, 5. *Indos Oceani* accolas. P. *incolas.* & *Claudian.* Ep. v, 1. ad Gennadium:

Italiae commune decus, Rubiconis *amoeni*
Incola:

nam *Barthius, Heinsio, Gesnero*que conprobantibus, vere conjecit *accola;* de quo *Burmannus* dubitare non debuerat. Vitium vero permansit in *Statii* Theb. vii, 420.

gemini maris incola *narrat*
Thebanum toto planxisse Palaemona ponto:

quippe corrigendum est, uti nunc video *Burmannum* corrigere ad *Claudiani* l. c.

gemini maris accola *narrat.*

Permansit item in *Valerii Flacci* lib. iv, 513.

Saxa vocant magni Strophadas nunc incola ponti.

Quis est enim, qui monitus mecum non faciat emendante,

vocant magni Strophadas nunc accola ponti?

Forte & in *Tullii* libro de Senect. cap. xxi. permansit: *Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque,* incolas poene nostros, *qui essent Italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse* ——. nam rectius, opinor, legeretur, *accolas poene nostros.* Certe Tuscul. Quaest. iv, 1. de Romanis occurrit: *erat enim illis poene in conspectu praestanti sapientia & nobilitate* Pythagoras, *qui fuit in Italia.*

Z 2 Contra

Contra apud *Ausonium* Mosella v. 279. de Glauco,

Carpathium subiit novus accola *pontum*,

reponi debet *incola*, quod ipsa res postulat, & imitatio *Nasonis* Metam. XIII, 904.

Ecce fretum findens alti novus incola ponti,
Nuper in Euboïca versis Anthedone membris,
Glaucus *adest*.

Non erat itaque, quod *Mariangelus Accursius*, auctor correctionis, dubitaret, & sibi ipse diffideret: *Ausonius* enim, quem „mutare forsan, quem mutuari maluisse„ suspicatur, plurimos aliorum versus dimidios, atque adeo totos suis carminibus intexuit. In *Claudiani* quoque carmine de IV. Cons. Hon. 450. pro,

venit accola *sylvae*
Bructerus Hercyniae,

duo codices offerunt, *incola*, lectionem sequentibus congruentem,

latisque paludibus exit
Cimber, & ingentes Albin liquere Cherusci.

Nihil tamen affirmo.

X, 17.

Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frenis, idem & fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,
Vincere cum Vejos posse laboris erat:
Nec dum ultra Tiberim belli sonus: ultima praeda
Nomentum, & captae jugera pauca Corae.

Et

Et Veji veteres, & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.

Passeratius: „ Livius lib. I. [38.] Nomentum priscorum Latinorum oppidum captum ait a Tarquinio Prisco, quod & refert *Dionysius:* [III, L.] Ergo hoc distichon male collocatum, nec referri potest commode ad Cornelii Cossi tempora. „ Dialectice! Ego vero sic argumentabar: *Livius* & *Dionysius* consentiunt Tarquinium cepisse Nomentum: itaque de Romuli temporibus dici non potest, *ultima praeda Nomentum. Broekhusius* tamen argumentationem vehementer laudavit, atque adeo confidenter edidit:

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boves.
[Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima praeda
Nomentum, & captae jugera pauca Corae.]
Cossus at insequitur cet.

O judicium, quale te dicam bonum! Rectius monuisset in Groningano libro meliorem lectionem servari:

O Veji veteres, & vos tum regna fuistis!
Et vestro posita est aurea sella foro!

Et, enim sordet natum ex subsequentibus, *et* vos, *Et* vestro.

XI, 3,

Cum semel infernas *intrarunt funera* leges,
Non exorato stant adamante viae.

N. Heinsius: leges] „*sedes* lege. male. „ Poëtam tamen scripsisse,

Cum semel infernas *intrarunt funera* sedes,

tamdiu credam, quoad vulgatae scripturae defensor ostendet, bonum Latinitatis auctorem dixisse, *funera intrant leges. Ovidius* Metam. IV, 432.

Est via declivis, funesta nubila taxo.
Ducit ad infernas *per muta silentia* sedes.
Quo *simul* intravit.

ib. 7.

ubi portitor aera recepit,
Obserat umbrosos *lurida porta* rogos.

sic habent non tantum quidam libri scripti; sed & vulgares editiones, quod *Hemsterhusium* fugisse miror ad *Lucian.* Tom. 1. p. 422. *rogos* autem *Passeratius*, & *Heinsius* interpretantur, manes, mortuos: sed cogitavisse non videntur, *manes umbrosos* commode dici non posse; nec *obserat* congruere *mortuis:* etenim *domus* & *fores obserantur*, non item *mortui.* *Hemsterhusius* vero l. c. „ minuendae difficultatis in emendatione sola spem ponebat,

Obserat umbrosas *lurida porta* domos. „

Ego vix dubito, quin *Propertius* scripserit:

Obserat umbrosos *lurida porta* locos;

ut I, XIX, 7.

Illic Phylacides jucundae conjugis heros
Non potuit caecis *immemor esse* locis.

& *Seneca* Agam. 1, 1.

Opaca *linquens* Ditis *inferni* loca.

Pariter librarii quidam *Propertii* lib. I, XIX, 20. scripsere,

Tum mihi non ullo mors sit amara rogo,

pro, *loco*, & e contrario *Senecae* H. F. 508.

Consumet unus igne subjecto locus,

pro, *rogus.* Ubi vero, *domos*, &, *rogos*, permutentur, ignoro.
Locos

Locos item *Vulpius* adolescens correxit; sed deinde silentio suo damnavit.

ib. 15.

Damnatae noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quaecunque meos implicat unda *pedes.*

Conferunt III, v, 12.

Et quaecunque meum *degravat* unda *caput.*

Inplicat tamen meam conjecturam juvare videtur,

Et quaecunque meos inplicat ulva *pedes:*

quae multis valde placuit, in his *Koppiersio*, juveni pereruditो, Observ. Philol. p. 155. & *Burmanno* V. C. ad *Lotich.* p. 363. ubi exemplis eam firmavit & probavit. A librariis autem saepe, *unda*, substitutum est in locum vocis, *ulva.* v. *Heins.* ad *Ovid.* Metam. XIV, 103.

ib. 89.

Discite venturam jam nunc sentire *senectam,*
Coelibis ad curas nec vacet ulla via.

N. Heinsius emendabat, *fulcire*, vel, *sarcire:* mihi placebat, *lenire senectam;* ut VIII, 33.

His ego constitui noctem lenire *vocatis;*

& *Ovid.* Metam. VI, 500.

Et mihi sollicitae lenimen *dulce* senectae.

Huic autem correctioni permagnum pondus addit eorundem verborum permutatio facta I, v, 3.

Quid tibi vis, insane? meae sentire *furores?*

nam

nam *Vosſii* liber habet, *lenire.* Sed inventi gloria debetur viro doctiſſimo, cujus conjectura memoratur in Elect. Eton. Maj. p. 184.

ib. 97.

Haec eſt feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum *libera fama* rogum.

Rogum Paſſeratius explicat, manes, mortuam: mihi blanditur antiquiſſima conjectura, quam cum plurimis communicavi:

Laudat ubi emeritum *libera fama* torum:

ſive capias pro conjugio, ſive conjuge: *torus* enim frequenter a poëtis hac poteſtate ponitur. v. *Heinſ.* ad *Ovid.* Her. XIX, 100. Ipſe *Propertius* III, x, 6.

Et quisquis fido praetulit arma toro.

Nec aliter *lectus* uſurpatur II, v, 15.

Felix Admeti conjux, & lectus Ulyxis,
Et quaecunque viri femina limen amat:

ubi Graecos pariter loqui politisſimus *Livineius* oſtendit. Ea vero librariorum conſuetudo fuit, ut, *rogus*, ingererent pro, *torus.* v. *Heinſ.* ad *Ovid.* Amor. II, XIV, 39.

Caeterum verſus hujus Elegiae foedisſime perturbati ſunt. Ipſa ratio tamen Criticos docere poterat, eam ſic contextam fuiſſe, ut Cornelia, virum ſolata, cauſſam oraret, cauſſaque perorata, liberos illi commendaret, ipſosque officii & pietatis, patri praeſtandae, admoneret. Itaque laudandus eſt *Scaliger*, quod verſus, *Filia tu ſpecimen* cet. qui in ſcriptis libris ante commendationem liberorum collocantur, in finem carminis rejecit. Sed hoc amplius ultimi verſus ponendi ſunt ante verſus, *Nunc tibi commendo* cet. hoc modo.


Sed bene habet. Nunquam mater lugubria ſumſi.
Venit in exſequias tota caterva meas.

Cauſſa

Causa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus & coelum patuit. sim digna merendo,
Cujus h. o. v. a.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Haec cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. —

Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic juvet esse senem.

In hac autem insigni versuum trajectione magnis Criticis cumulate satisfeci.



CAPVT X.

Conplures versus Ovidio sunt suppositi. Caussa. N. Heinsius in iis tollendis longe caeteris praestat Criticis. Plerosque tamen Withofius retinet, sed refectos. Exempla. Conatus refutatur. Phoenix Heliopolin venit. Alia. Conceditur tamen Heinsium rejicere versus, qui, levi mutatione facta, retineri possint; atque adeo, quos ipse carminum contextus esse servandos doceat. Exempla. Tentatus Valerii Flacci versus. Phoebus, non Tethys, sparsas sui currus partes, & equos collegit. Actaeon cornua sua solitis in undis vidit. Milo male dicitur in amne fluidos lacertos spectasse. Inter Ovidianos etiamnunc latent versus poëtae suppositi. Quosdam Burmannus indicavit. Idem reprehenditur. Difficultas hujus Criticae partis.

Satis constat, cum caeteris poëtis, tum maxime *Nasoni*, versus ab hominibus male sedulis esse suppositos. Caussam *Capoferreus* post alios explicat ad Metam. x, 507: „ In memoria habendum est, id „ quod viri docti jam pridem testificati sunt, in neminem poëtarum „ plus sibi temeritatem quorundam sciolorum permisisse, quam in „ hunc, ut cui, pro candore ac facilitate sua uni omnium maxime „ inter manus versanti, facillime possent ineptiarum suarum scabiem affricare. „ Quapropter editores in eo certatim elaborarunt, ut hae sordes abstergerentur, & libri magis magisque splenderent.

In ſuppoſitis autem verſibus notandis & ſubmovendis quondam felicisſimus fuit *N. Heinſius*, Criticus intelligentium judicio probatiſſimus: unus enim plus praeſtitit, quam caeteri omnes. Pauci tamen, tanquam *Burmannus* & *Withoſius*, audaciam reprehenderunt, & temeritatem; ſed diverſas ingresſi ſunt vias. Siquidem *Burmannus*, in refutatione nimium ſaepe verſatus, interdum notas, quas viri docti, in primis *Heinſius*, appoſuerant ad ſuſpectos verſus, in editione poſtrema delevit; *Withoſius* autem pleroſque verſus, quos iidem notaverant, in officinis falſariorum factos rati, refecit, & inperitis venditavit.

Ne videatur hoc incredibile, pauca de multis exempla ex variis libellis & chartis, quas rari videre, collecta, ſupponam.

Burmannus v. 95. ep. x. Heroïd.

[Coelum reſtabat. timeo ſimulacra Deorum.]

gravi nota damnaverat: „ Neſcio quid ſpurii & non Ovidiani ſonet „ hic verſus, qui forte a ſciolo quodam ex centonibus aliunde con- „ ſutus eſt ——. quare puto ejectum & loco motum genuinum ver- „ ſum, qui ſequenti pentametro aptius cohaereat. continuiſſe vero „ hunc ſenſum puto: ſive deſerta eſt & incolis vacua, deſtituor „ praeda feris, ſive colunt viri, diffidimus illis. „ Ultima tametſi *Withoſius* [in Annotat. ad funebrem Laudationem *Simmermanni* p. 52.] probat, tamen apponit: „ In eo vero Vir Celeb. errat, quod „ putet, genuinum verſum hinc loco fuiſſe motum, quaſi is adhuc „ alibi deliteſcat. Atqui certus ſum, genuinum illum ſub om- „ nium literarum ductibus hujus ſcelerate interpolati verſiculi te- „ ctum latere. —— ita Ovidius, niſi fallor, ſcripſit unice:

„ *Seu nihil hic exſtat timidae ſuccurrere dignum.* „

Sed nemo ſibi perſuadere poterit librarios e verbis,

Seu nihil hic exſtat timidae ſuccurrere dignum,

finxiſſe,

Coelum reſtabat. timeo ſimulacra Deorum.

Idem p. 53. in verſibus *Heinſio* ſuſpectis [41, 42. Ep. XII.] pro,

[Mar-

[Martis erant tauri plusquam per cornua ſaevi,
Quorum terribilis ſpiritus ignis erat.]

reponit:

Martis erant tauri, *Colchis prope noxius ipſis caet.*

cujusmodi correctiones ne refutari quidem debent.

Tolerabilior eſt, quam [Annot. ad Laudat. Fun. *Pagenſtecheri* p. 63.] facere conatus eſt in Ep. xx, 101.

Teſtis erit Calydonis aper. nam ſcimus, ut illo
Sit magis in natum ſaeva reperta parens.]
Teſtis & Actaeon —
Quaeque ſuperba parens —

Nam diſtichon, quod *Heinſio* videbatur adulterinum, ſic reformat:

Teſtis erit Calydonis aper, *tam ſaevus*, ut *iſto*
Vix mag is —

in quo ſcripturae MSS. veſtigia remanent; ejus autem ſententiae verſus, uti recte monet, ſubſequentia poſtulant:

Teſtis & Actaeon —

firmat vero ſimillimus locus xxi, 177.

Numquid in umbroſo cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua ſacra tuli?
Praeteriine tuas de tot coeleſtibus aras?]
Atque tua eſt noſtra ſpreta parente parens?

Sic quoque tamen, ut, quemadmodum ſentio, loquar, *aper* ille *teſtis* mihi diſplicet, atque adeo totum diſtichon ſordet.

Metam. 1, 545. legitur in pervulgatis libris:

Victa labore fugae, ſpectans Peneïdas undas,
Fer, pater, inquit, opem; ſi flumina numen habetis.
[Qua nimium placui, tellus, aut hisce, vel iſtam,
Quae facit, ut laedar, mutando perde figuram.]
Vix prece finitâ, torpor gravis adligat artus.

Duos autem verſus, qui diverſis literis exarati ſunt, ab *Heinſio*, non una de cauſſa rejectos, hoc pacto [Praemet. Cruc. Crit. p. 113.] corrigere conatur:

> *Cui* nimium placui, *vel eum tu ſiſte*, vel iſtam,
> Quae facit, ut laedar, mutando perde figuram.

Mihi vero videntur adulterini: primum, quod ridiculi ſunt: deinde, quod non tantum trajiciuntur in libris, ſed & 547. in antiquisſimo Palatino deeſt, uterque autem in Gronoviano: tum, quod *Lactantius* in argumento fabulae non agnoſcit: „ *Illa patrem invo- „ cavit, ut virginitati ſuae, quam ſibi permiſerat, ferret auxilium. „ cujus ille auditis precibus, filiam Deorum auxilio, ut vim effuge- „ ret, in laurum convertit:* „ denique, quod, illis ejectis, carmen fit elegantius:

> *Fer, Pater, inquit, opem, ſi flumina numen habetis.*
> *Vix prece finita, torpor gravis adligat artus:*
> *Mollia cinguntur tenui praecordia libro.*

Nihil me movet haec argumentatio *Withofii* p. 112: „preces ante- „ cesſiſſe oſtendunt verba, *Vix prece finita.* Nam illa duo, *Fer* „ *opem*, tantum abeſt, ut preces posſint dici ſola, ut prorſus non „ indicent, quid Daphne petat, deſideretque. At mos Naſonis „ perpetuus eſt in talibus non modo certas preces praemittere, ſed „ etiam ominoſas & eventum quodammodo indicantes. „ Refutatur enim ſimilibus precibus, quae reperiuntur Metam. VIII, 849.

> *Et vicina ſuas tendens ſuper aequora palmas,*
> Eripe me domino, *qui raptae praemia nobis*
> *Virginitatis habes, ait. (haec Neptunus habebat.)*
> *Qui* prece non ſpreta, *quamvis modo viſa ſequenti*
> *Eſſet hero; formamque novat; vultumque virilem*
> *Induit, & cultus piscem capientibus aptos.*

Lib. VIII, 286.

> *Et ſetae denſis ſimiles haſtilibus horrent,*
> [Stantque velut vallum, vel ut alta haſtilia ſetae.]

Al-

Alteruter verſus in libris non paucis omittitur; ideoque ab omnibus fere Criticis rejicitur. Haec tamen adeo nihil eum movent, ut in Annot. ad Laudat. Fun. *Pagenſtecheri* p. 57—59. utrumque tueatur; ſic autem reformet poſteriorem:

Stantque velut vallum, velut edita in hyſtrice tela.

ſed vel ſolae voces, *ſetae*, *haſtilia*, ſic repetitae falſarium patefacere queant. Hunc autem verſum ſinxiſſe poſteriorem veriſimile puto.

Idem Praem. Cruc. Crit. p. 183. verſus *Heinſio* ſuſpectos [XIII, 378, 379.]

Per ſi quid ſupereſt, quod ſit ſapienter agendum,
[Si quid adhuc audax, ex praecipitique petendum,
Si Trojae fatis aliquid reſtare putatis,]
Eſte mei memores.

hoc modo corrigere conatur:

Si quid adhuc *Calchas hac praecipit arte* petendum,
Si Trojae fatis aliquid reſtare *putabit.*

Erunt tamen, quibus e geminatis rhythmis, *agendum*, *petendum*; *fatis*, *putatis*; ipſa monachorum clauſtra redolere videantur.

XV, 400.

Se ſuper imponit: finitque in odoribus aevum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phoenica renaſci.
[Cum dedit huic aetas vires; onerique ferendo eſt;
Ponderibus nidi ramos levat arboris altae:
Fertque pius cunasque ſuas, patriumque ſepulcrum;
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis aede reponit.]

Quinque poſtremos verſus ſibi ſuſpectos hoc judicio damnavit Ariſtarchus Batavus ad 404: „ Verſus hic adulterinus eſt. Metuo, „ ne & proxime praecedens & tres ſequentes ab aliena manu ſint „ inculcati. ita duodecim verſibus totam de Phoenice hiſtoriam Naſo

 „ ab-

„ abfolverit. „ Ad probandam fententiam videbatur adjuvare repetio verborum, *ferunt*, *ferendo*, *fert*; &, *pius*, proxime *cunis* adjunctum, cum *fepulcro* rectius adjungeretur. Aliter atque ego *Withofius* judicabat in Ephem. Duisburg. a. 1746. n. 36. fic interpolans:

Perque leves cunasque fuas patriumque cubile
Ungue ferens auras *Hyperionis aede reponit.*

Enimvero tales interpolationes, meo judicio, ne verifimiles quidem funt; haec autem vehementer inprobanda, propterea quod ejus fundamentum in aqua jactum eft. Nam quod Phoenicem negat Heliopolin veniffe, fcriptores ajunt innumerabiles. v. *Burm.* ad *Lactant.* de Phoen. v. 121.

Quam pedibus geftans contendit Solis ad urbem;

uti feliciter reftituit, pro, *ortum*; &, qui plures jam teftes citaverat, *Barthius* ad *Claudian.* de Phoenice v. 90.

Ibid. v. 422.

fic magna fuit cenfuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare fanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos oftendit avorum.
[Clara fuit Sparte: magnae viguere Mycenae:
Nec non Cecropiae; nec non Amphionis arces.
Vile folum Sparte eft: altae cecidere Mycenae.
Oedipodioniae quid funt, nifi fabula, Thebae?
Quid Pandioniae reftant nifi nomen Athenae?]

Ultimi verfus inopportuni funt, & hiftoriae repugnant; in veteribus autem libris vel hic, vel ille deeft, atque adeo duo priores in unius margine ponuntur. Quid? quod tempus, quo verfificatores in fimilibus delectabantur fonis, indicant. Quid? quod iis omisfis aptiffime cohaerent:

Nunc *humilis veteres tantummodo* Troja *ruinas,*
Et pro divitiis tumulos oftendit avorum.
Nunc quoque Dardaniam *fama eft confurgere* Romam.

Ita-

Itaque ſequor *Heinſium*, qui tollendos eſſe cenſet. Contra *Withofius* Annot. in Laudat. Fun. *Pagenſtecheri* p. 64. omnes retinet, ſed crebris locis inculcatos & refectos hoc modo:

Nunc humilis veteres quasdam *modo Troja ruinas*, *caet.*
Clara ſit ut *Sparte*, *magnaeque* in honore *Mycenae*, *caet.*
Oediponioniis quin nil, *niſi* nomina, Thebis,
Nil Pandioniis reſtare querentur Athenis.

Credas eum voluiſſe Monachos reformare & velut recoquere.

Faſt. VI, 751.

[Tunc cum obſervatas augur deſcendit in herbas;
Uſus & auxilio eſt anguis ab angue dato.]

Et hos verſus vir eximius „ ſpuriae judicabat eſſe notae;„ ſed *Withofius* in Ephem. Duisburg. a. 1752. n. 51. reponebat:

Tunc, cum *more ſagax* augur *Polyïdos eodem*
Uſus.

Et miramur inveniri, qui Criticos facere dicant

Candida de nigris ——

Pontic. II, II, 31. vulgatur:

Tuta petant alii. Fortuna miſerrima tuta eſt:
Nam timor eventûs deterioris abeſt.
[Qui rapitur fatis, quid praeter fata requirat?
Saepe creat molles aſpera ſpina roſas.
Qui rapitur ſpumante ſalo, ſua brachia cauti
Porrigit, & ſpinas duraque ſaxa capit.]
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet ad humanos feſſa venire ſinus.

Ariſtarchus autem Batavus ad v. 33. notat: „ Nonnulli ex antiquis „ omittunt hoc diſtichon, quidam proximum. Alii ex ambobus „ unum faciunt, utroque mediorum verſuum omiſſo. Ego utrum- „ que diſtichon ſuperfluum & tollendum eſſe cenſeo.„ Utrumque vero

vero *Withofius*, antiquum obtinens, in Ephem. Duisb. a. 1751. n. 20. fervat, fed prius ita mutatum:

> Qui rapitur *ventis*, quid praeter *litora quaerit?*
> Saepe *licet multis* afpera *vifa locis.*

Ego fubirafcor hominis obftinationi. Quis enim, nifi plane plumbeus fit in Criticis, dubitet, quin nebulo prius diftichon e pofteriore conflaverit? Quis autem credat librarios e verbis,

> *Saepe licet multis afpera vifa locis,*

feciffe,

> *Saepe creat molles afpera fpina rofas?*

Ad hasce correctiones adjungi fimillimae poffunt, quas in *Silio*, *Statio*, *Juvenale*, & aliis fecit; fed omitto, ne quid injucunditatis habeat longa reprehenfio. Quippe perfpicuum puto, peffime rem gerere, qui femper laborent, quemadmodum verfus merito fufpectos, et in marginibus bonorum librorum fcriptos, atque adeo penitus omiffos, retineant.

Nec tamen *Heinfii* ftudiofus ac fautor omnes hujus generis correctiones, ab ingeniofo viro factas, approbo; quippe qui fatear in conplures cadere illud poëtae Cordubenfis: *Excesfit medicina modum.* Nam, ne dicam de fingulis, interdum verfus ejecit, qui, parva mutatione facta, retineri potuerant. Sic Metam. VI, 537.

> *Omnia turbafti, pellex ego facta forori:*
> *Tu geminus conjux.* [non haec mihi debita poena.]

„ hemiftichium putat additum a fciolo, & lacunam effe relinquen- „ dam. „ Sed, ut mittam de falfa dimidiorum verfuum fufpicione, plerique libri veteres offerunt; hoftis *m. d. p:* unde *Withofius* Praemet. Cruc. Crit. p. 181. feliciter eruit:

> hoftis *mihi debita* Procne.

Idem p. 182. verfum eidem fufpectum Trift. III, XII, 52.

> [Jamque fuum mihi dat pro lare Poena locum?]

prae-

praeclare correxit hoc modo:

Jamque *tuum* mihi *das* pro lare, *Ponte*, *ſolum?*

Sic V, 1, 15.

Delicias ſi quis laſcivaque carmina quaerit,
[Praemoneo, nunquam ſcripta quod iſta legat.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,]
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.

ad v. 16. hanc appoſuit notam: „ verſus hic mihi pro Ovidiano non eſt, ut nec ille, qui mox ſequitur.„ At *Withoſius* p. 141. verſum trajiciens, & alterum, quem ſine cauſſa damnavit, recipiens, admirabiliter reſtituit:

Delicias ſi quis lascivaque carmina quaerit,
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Totque alii, quorum nomina magna vigent.
Atque utinam numero ne nos eſſemus in illo!

Gravius autem lapſus eſt, quod cenſoria nota damnavit, quos ipſe carminis contextus haud eſſe damnandos docere potuiſſet; ut Heroïd. xiv, 105.

Inachi, quo properas? eadem ſequerisque fugisque.
Tu tibi dux comiti: tu comes ipſa duci.
Per ſeptem Nilus portus emiſſus in aequor
Exuit inſanae pellicis ora bovi.
[Ultima quid refero, quorum mihi cana ſenectus
Auctor? dant anni, quod querar, ecce, mei.]
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur. ejectos ultimus orbis habet:

nam ſi diſtichon, [109, 110.] ei „non uno nomine ſuſpectum,„ demas, carmen minus apte cohaerebit.

Pejus autem cohaerebunt ultima ſequentis epiſtolae [xv, 211.]:

Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera; quid laceras pectora noſtra mora?

Solve ratem. Venus orta mari, mare ſternet eunti.
Aura dabit curſum. tu modo ſolve ratem.
Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido:
Ipſe dabit tenera vela, regetque manu.
Sive juvat longe fugiſſe Pelasgida Sappho;
(Non tamen invenies, cur ego digna fuga.)
[Hoc ſaltem miſerae crudelis epiſtola dicat;
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.]

ſi poſtremum diſtichon, cujus ſententiam non aſſequebatur, ejus inperio rejeceris. Senſit hoc *Graevius* Syll. Epiſt. *Burm.* T. IV. p. 599. prudenter & amice monens: ,,In notis tuis ad 219. jus- ,, ſiſti diſtichon illud ultimum exſcindere tanquam adulterinum, & ,, cingulis id circumdediſti: ſed maxime genuinum mihi videtur ,, eſſe, & ſine illo ſententiam nullam eſſe illius loci. Sive, inquit, ,, abhorres a meo complexu, & longe hinc tibi fugiendi animus ſit, ,, quamvis nihil invenias in me dignum fuga, hoc ſaltem mihi tua ,, nunciet epiſtola, te ſcilicet fugere meum conſpectum, & nolle ,, unquam ad me redire, ut me conferam Leucatem in montem ſi- ,, tum in aquis Leucadiis, & inde praecipitem me dem, ut amore ,, lever:,, unde parum felix conjectura viri docti in notis ineditis ,, pariter refutatur: *Hoc* ſaltu *miſerae* caet.

Vehementer itidem *N. Heinſius* errat, quod verſus 217, 218. *Sive juvat* caet. poſt 211, 212. poni vult hoc modo:

Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera;
Sive juvat longe fugiſſe Pelasgida Sappho;
(Non tamen invenies, cur ego digna fuga.)
Solve ratem. Venus orta mari, mare ſternet eunti.
Ipſe gubernabit reſidens in puppe Cupido.

ſic enim Sappho ſibi nocitura peteret. Sed ad propoſitum redeamus.

Idem XX, 91.

Nunc reus infelix abſens agor; & mea, cum ſit
Optima, non ullo cauſſa tuente perit.

[Hoc

[Hoc quoque, quod jus eſt, ſit ſcriptum injuria noſtrum:
Quod de me ſolo nempe queraris habes.]
Non meruit falli mecum quoque Delia. ſi non
Vis mihi promiſſum reddere, redde Deae.

medium diſtichon cenſet eſſe adulterinum. Non ego: ſubſequens enim docet eſſe genuinum.

Eadem Epiſt. v. 207.

Scribis, ut invalidum liceat tibi viſere corpus.
Es procul a nobis: & tamen inde noces.
[Mirabar, quare tibi nomen Acontius eſſet:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.]
Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
Ut jaculo, ſcriptis eminus icta tuis.

nonnemo medios itidem verſus poëtae non eſſe judicat. Ego, quam venuſti ſint, non diſputo; ſed ajo retinendos eſſe. Mecum facere ſequentes ipſe vir ſummus fatebitur, ſi velit diligenter attendere.

Artis Amat. 1, 343. codices omnes exhibent:

Ergo age, ne dubita cunctas ſuperare puellas.
Vix erit e multis quae neget una tibi.
Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen eſſe rogatae.
Ut jam fallaris, tuta repulſa tua eſt.
[Sed cur fallaris? cum ſit nova grata voluptas?
Et capiant animos plus aliena ſuis?]
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Heinſius tamen „ metuit, ne diſtichon [347, 348.] ſit ab interpo„ latrici manu confictum, cum ad rem non ſatis faciat.„ ſed ſequens metuere vetabat.

Metam. 11, 394.

Talia dicentem circumſtant omnia Solem
Numina: neve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant. miſſos quoque Jupiter ignes
Excuſat, precibusque minas regaliter addit.

[Colligit amentes, & adhuc terrore paventes,
Phoebus equos, ſtimuloque domans & verbere ſaevit:
Saevit enim, natumque objectat, & inputat illis.]
At pater omnipotens ingentia moenia coeli
Circuit: &, ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat.

Hic ad v. 398. notat: „ Mihi trium horum verſiculorum fides non- „ nihil eſt ſuſpecta, tertii inprimis. „ Offendebat forte repetitio verborum, *ſaevit*, *ſaevit*; & rhythmus, *amentes*, *paventes*. Eo certe graviter offenſus *Withofius* Praemet. Cruc. Crit. p. 184. reponebat:

attonitos, *& adhuc terrore paventes.*

Ut ut eſt, rejectis duobus verſibus, *Colligit* - *Phoebus equos* -, caeteri non cohaerebunt:

Jupiter ignes
Excuſat, precibusque minas regaliter addit.
At pater omnipotens [Jupiter] *ingentia moenia coeli*
Circuit.

Tuetur itidem rejectos imitatio *Lucretii* manifeſta v, 397.

Ignis enim ſuperavit, & ambens multa peruſſit,
Avia cum Phaëthonta rapax vis Solis equorum
Aethere raptavit toto, terrasque per omnes.
At pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; Solque cadenti
Obvius aeternam ſuccepit lampada mundi;
Disjectosque redegit equos, junxitque trementes:
Inde ſuum per iter recreavit cuncta gubernans.
Scilicet, ut veteres Grajûm cecinere poëtae.

Eadem quidem verba reperias: *At pater omnipotens.*

Hic autem locus in memoriam redigit haud disſimilem, ſed ſuſpectum, *Valerii Flacci* v, 430:

Flebant populeae juvenem Phaëthonta ſorores,

Ater

Ater & Eridani tepidum globus ibat in amnem:
At juga vix Tethys *sparsumque recolligit axem,*
Et formidantem patrios *Pyroënta dolores:*

ut enim Tethys Solem in Iberum mare cadentem excipiat II, 36. sic juga Phoebei currus, & equos dispersos vix commode recolligit. Nonnemo certe congruenter *Ovidio*, *Lucretio*, *Luciano*que T. I. p. 280. scripsisset:

At juga vix Phoebus, *sparsumque recolligit axem,*
Et formidantem patrios *Pyroënta dolores:*

aut, *Titan*, quod nomen usitatum poëtae. Favet quidem vox, *patrios*. Sed in viam.

Lib. III, 198. nunc ex uno codice Leidensi vulgatur:

Additus & pavor est. fugit Autonoeïus heros,
Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
[Ut vero solitis sua cornua vidit in undis,]
Me miserum! dicturus erat, vox nulla secuta est.

antehac:

Ut vero *vultus et* cornua vidit in undis.

ad quae *N. Heinsius*: „versum hunc frigidum & insulsum meo tolle „periculo, quanquam scriptis, quotquot vidi, membranis tenaci„ter inhaerentem. nisi quod in uno Leidensi,

Ut vero solitis sua cornua vidit in undis,

„aliquanto rectius legebatur.„ Ego delicatissimum fastidium non fero, propterea quod *Ovidius* simillime de aliis loqui solet; ut de Narcisso III, 499.

Ultima vox solitam *fuit haec* spectantis in undam.

de Iö I, 619.

Venit & ad ripas, ubi ludere saepe solebat,
Inachidas ripas; novaque ut conspexit in undis

Cornua, *pertimuit, ſeque externata refugit.*

& Heroïd. xiv, 89. de eadem:

Adſtitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non ſua vidit aquis.
Conatoque queri mugitus edidit ore,
Territaque eſt forma, territa voce ſua:

Metam. xv, 565. de Cipo:

Aut ſua fluminea cum vidit Cipus in unda
Cornua, (vidit enim) *falſamque in imagine credens*
Eſſe fidem, digitis ad frontem ſaepe relatis,
Quae vidit, tetigit.

& de Milone v. 229.

fletque Milon ſenior, cum ſpectat in amne
Illos, qui fuerant ſolidorum mole tororum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.

uti *J. F. Gronovius* corrigebat, pro, *inanes;* ſed infeliciter. Ut enim quisque vultum ſuum videat in amne, fonte, ſpeculo; ſic *lacertos*, oculis patentes, *in amne ſpectare* non neceſſe eſt. Praeterea contra *N. Heinſium Senecae* locus eſt, *Ovidium* pene ad verbum exprimentis, Oedip. 760.

Donec placidi fontis in unda
Cornua vidit vultusque feros:

quo *Gronovii* conjectura firmari poteſt:

Utque feros vultus *& cornua vidit in undis.*

Plura colligere taedet argumenta, cum Criticis unum ſatis eſſe poſſit, ejecto verſu caeteros non cohaerere.

Eodem ductus argumento vix dubito, quin plures verſus, ad quos Ariſtarchus ille notas appoſuit, *Ovidiani* ſint; tanquam Metam. iv, 316.

[Cum

[Cum puerum vidit, viſumque optavit habere:]

Triſt. V, XII, 17.

[Ut patriae veniant, veniant oblivia veſtri;
Omnis ut admisſi ſenſus abeſſe queat.]

& Pontic. IV, XIV, 31.

[Eſſet perpetuo ſua quam vitabilis Ascra.]

Nec tamen ideo, more *Withofii*, tantum virum vehementius inſector. Nam cujus judicium tam prudens & certum eſt, ut interdum, ficta diſtinguere conatus a veris, nihil offendat? Equidem ab haereſi *Withofiana* non tantum prorſus abhorreo; ſed & multo plures nebulonum verſus inter *Ovidianos* adhuc latere cenſeo.

Mecum facit ipſe *Burmannus*, exagitator audacium Criticorum. Quippe ut ſuſpectos & ſpurios damnavit Heroïd. IV, 163--166.

[Eſt mihi dotalis tellus, Jovis inſula, Crete.
Serviat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos. potuit corrumpere taurum
Mater. eris tauro ſaevior ipſe truci?]

X, 95.

[Coelum reſtabat. timeo ſimulacra Deorum.]

in Ibin 401, 402.

[Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos.]

439, 440.

[Utve ferox Phalaris, lingua prius enſe reſecta,
More bovis, Paphio clauſus in aere gemas.]

& Metam. X, 305.

[Gentibus Ismariis & noſtro gratulor orbi:]
Gratulor huic terrae, quod abeſt regionibus illis,
Quae tantum genuere nefas.

ubi

ubi tamen multa peccat haec notans ad v. 305: ,, Aberat hic verſus ,, a Florentino S. Marci: & certe mirum videri poteſt, gratulari ,, poëtam Thraciae, ubi modo v. 83. Orpheus docuerat, *amorem* ,, *in teneros transferre mares*; quaſi παιδεραστία minus ſcelus inceſto ,, eſſet, a quo tamen ſe alienum ſemper oſtendit poëta.,, Quippe primum non poëta, ſed ipſe Orpheus, ſuae Thraciae gratulatur; dein, ut alia non tangam, ſemper reperti ſunt, qui conjunctiones parentum cum liberis, jure naturae vetitas, damnarent; amores autem puerorum laudarent & celebrarent. Denique, etiam ſi verſus omittatur, eadem tamen ſententia manet. Si rejiciendus, ob ταυτολογίαν rejiciendus eſt. Sufficit enim:

Gratulor huic orbi, *quod abeſt regionibus illis;*

quae ſcriptura codicis unius eſt venuſta *Burmanno* viſa. ſed haec hactenus.

Itaque mihi deliberatum eſt nonnullas hujus generis correctiones in ſubſequentia diſtribuere capita. Diu me dubitaſſe fateor, an attingerem Criticae partem, quae putatur una eſſe omnium difficillima. Nam cum tota conſtet ex variis ſtudiis & artibus, in quibus ſingulis excellere difficile eſt, tum in hac praeſertim ſagacitas, & quaedam divinatio, nec mediocris prudentia requiruntur. Movebar etiam clamoribus & conviciis minutorum Criticorum, quibus invidi conſectantur ingenioſisſimos homines; maxime vero deterrebar exemplis ſummorum virorum, velut *Heinſii;* quibus ſaepe parum proſpere ſuccesſiſſe noveram. Sed cum Criticis nobilisſimis & iisdem poëtis non paucos hujusmodi verſus merito notaſſe viderer, diutius dubitandum non putavi, quin notationes ederem, cauſſasque ſubſcriberem. Uberius autem multas explicavi, ut difficilibus & moroſis cumulatisſime ſatisfacerem. Non deerunt forte, quibus nonnulla rationum momenta videantur perlevia: ſed ipſa ſermonis barbaries; turbata rerum ſententiarumque ſeries; violatae carminum leges; atque adeo communis hominum ſenſus omnes, niſi plumbeos in Criticis, aut valde pertinaces, confiteri cogent, pleroſque verſus a me jure damnatos eſſe. Utcumque erit, gaudebo tamen exhibitas aegroto & prope deſperato poëtae curationes optimorum medicorum conſenſu probari.

CA-



CAPVT XI.

Aliquot verſus adulterini de variis Ovidii libris ſublati. Suſpectum loquendi genus, eſuri terna per ora canes. Conplures interpolatorum conſuetudines indicantur. Eoſdem verſus alieno ſaepe loco reponunt. Rejectus Horatii verſus. Nihil deeſt collationi, extincta Medeae flamma ad Iäſonis adſpectum revixit, ut ſcintilla ſolet a ventis alimentum reſumere. Uſus verbi exhalare. Aut, &, vel, ab optimis poëtis conjunguntur. Forma par animo reſpondet in illâ, Latinum non eſt. Ingratae rerum verborumque repetitiones indicant verſus ſuppoſitos. Alia.

Ovidius Heroïd. IX, 33.

> *Vir mihi ſemper abeſt; & conjuge notior hoſpes*
> *Monſtraque, terribiles perſequiturque feras.*
> *Ipſa domo viduâ, votis operata pudicis,*
> *Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat.*
> [Inter ſerpentes, aproſque, avidoſque leones
> Jactor, & eſuros terna per ora canes.]
> *Me pecudum fibrae, ſimulacraque inania ſomni,*
> *Ominaque arcanâ nocte petita movent.*

Ante multos annos ſenſi verſus,

> *Inter ſerpentes, aproſque, avidoſque leones*
> *Jactor, & eſuros terna per ora canes.*

non eſſe τοῦ ποιητοῦ; ſed παρεμβεβλημένους. Necdum muto ſententiam. Quippe primum numeri non videntur *Ovidiani*,

> *ſerpentes, aproſque avidoſque leones.*

Deinde vehementer dubito, num Latinum ſit, *eſuros terna per ora canes.* Novi illa,

> *Per tria partitos qui dabat ora focos;*

&, de Cerbero,

vocis horrendae fragor
Per terna miſſus ora;

&,

Latrantem in foribus per tria roſtra canem:

quae duo loca putantur *Heinſii* firmare correctionem. Sed inter haec, & inter, *edere per ora terna*, differt. Quam ridicule autem de uno Cerbero dicitur, *eſuri terna per ora canes!* Quid vero ederent? an Herculem? Praeſtaret ſcriptura *Puteanei* codicis, *haeſuros* terna per ora canes.

Praeterea votis, & pecudum fibris mulier inepte videtur interponere, ſe jactari

Inter ſerpentes, aprosque, avidosque leones,
& eſuros terna per ora canes:

quae melius poſt ſomni ſimulacra legerentur. Auctor enim probabiliter ad ſomnia retulit; quo diverſa lectio ducit,

eſuros cerno *per ora canes.*

Poſtremo *monſtra*, inter quae Deïanira ſe jactari queritur, ante hoc tempus, atque adeo nuptias ejus, ab Hercule confecta traduntur. v. *Apollod.* II, VII, 6, 7. *Seneca* H. F. alii.

Itaque delendos cenſeo verſus a nebulone fictos ex 61, 87, 95, 93:

Inque canes *totidem trunco digeſtus ab imo*
Cerberus.

Huic autem praecedens occaſionem fingendi dediſſe videtur,

Monſtraque, terribiles perſequiturque feras.

iis vero verſibus deletis, quae veritatis nota putatur, apte caeteri cohaerent:

Vir mihi ſemper adeſt; & conjuge notior hospes
Monſtraque, terribiles perſequiturque feras.
Ipſa domo viduâ, votis operata pudicis,
Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat.

Me

Me pecudum fibrae, ſimulacraque inania ſomni,
Ominaque arcanâ nocte petita movent.

Idem nuper placuit Auctori Specim. *Lucan.* II. p. 57.

Amor. I, x, 15.

Et puer eſt, & nudus Amor. ſine ſordibus annos,
Et nullas veſtes, ut ſit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio proſtare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille ſinum.
[Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles aera merere Deos.]
Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere.

Et hi verſus,

Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles aera merere Deos.

ad rem, quae tractatur, non faciunt: neque enim de feris armis agitur. Iis autem loco motis reliqui aptius congruunt, atque adeo venuſta, & *Ovidio* familiaris reſtituitur repetitio verborum, *proſtare*, &, *ſtat:*

Et puer eſt, & nudus Amor. ſine ſordibus annos,
Et nullas veſtes, ut ſit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio proſtare *jubetis?*
Quo pretium condat, non habet ille ſinum.
Stat *meretrix certo cuivis mercabilis aere.*

Interjectionis anſam dare potuit vox, *aere*, & praecedentis Elegiae verſus 44:

Juſſit & in caſtris aera merere *ſuis.*

II, XVII, 14.

Aptari magnis inferiora licet.
Creditur & Nymphe, mortalis amore, Calypſo,
Capta, reluctantem detinuiſſe virum.

Creditur aequoream Phthio Nereïda Regi,
Egeriam justo concubuisse Numae;
Vulcano Venerem: quamvis, incude relictâ,
Turpiter obliquo claudicet ille pede.
[Carminis hoc ipsum genus impar: sed tamen apte
Jungitur herous cum breviore modo.]
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.
Te deceat medio jura dedisse toro.

In disticho, quod diversis exaratur literis, risum vix tenere soleo. Quippe, ut de numeris taceam,

Carminis hoc ipsum genus inpar: sed tamen apte,

perridicula videtur argumentatio: *Parva magnis aptari licet. Calypso mortalem detinuit Ulyxen: Thetis cum Peleo concubuit; Egeria cum Numa; Venus cum Vulcano:* modus heröus apte cum breviore jungitur; *Corinna item cum Nasone.* Quid multa? praestaret,

Vulcano Venerem: quamvis, incude relictâ,
Turpiter obliquo claudicet ille pede.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.

Ego quidem sic, omisso disticho, scripsissem. Forsan aliquis, qui nollet Elegiam dici *claudam*, & Elegos *claudos*, ad mentionem Vulcani claudicantis attexuit,

Carminis hoc ipsum genus inpar: sed tamen apte
Jungitur heröus cum breviore modo.

Ex eo quidem fonte plurimae fluxerunt interpolationes; ut Trist. I, III, 73.

Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
[Sic Priamus [Mettius] doluit, tunc cum in contraria versus
Ultores habuit proditionis equos.]

III, XV, 1.

Quae-

Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hic Elegis ultima meta meis.
Quos ego compoſui, Peligni ruris alumnus:
Nec me deliciae dedecuere meae.
[Si quid id eſt, usque a proavis vetus ordinis haeres,
Non modo militiae turbine factus eques.]
Mantua Virgilio debet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.

Verſus 5, & 6. commodiore reponuntur loco Triſt. IV, x, 5.

Editus hîc ego ſum: *nec non, ut tempora nôris:*
Cum cecidit fato Conſul uterque pari.
Si quid id eſt, usque a proavis vetus ordinis haeres;
Non modo Fortunae munere factus eques.

ubi in duobus libris, *militiae turbine*, pariter atque hic in quibusdam, *Fortunae munere*, reperitur. Hinc ſuspicor totos inde verſus primum in marginem; dein in hujus Elegiae contextum migraſſe. Cohaerent quidem,

Nec me deliciae dedecuêre meae.
Mantua Virgilio debet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.

Similis tamen verborum conſtructio notatur Faſt. IV, 309.

Claudia Quinta genus Clauſo referebat ab alto:
Nec facies impar nobilitate fuit.
Caſta quidem, ſed non & credita.

Ut ut eſt, eodem conplures argumento ducti, maxime *N. Heinſius*, non paucos de libris *Virgilii* verſus, in melioribus praeſertim omisſos, ſuſtulerunt; ut Ecl. I, 18. Aen. IV, 528. VIII, 46. IX, 28, 121, 151, 524.

Debuerant & tollere de *Horatii* lib. I. Ep. I. v. 56; qui loco commodiore [Sat. I, VI, 74.] recurrit. Etenim perridiculi videntur ſenes,

Laevo ſuspenſi loculos tabulamque lacerto.

Mecum *Cuningamius*, *Sanadonus*, & *Jonesius* faciunt. Dissentit quidem *Marklandus* in Explic. Vet. Aliq. Auctor. p. 256. leviter corrigens:

haec recinunt juvenes dictata, senesque, &
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

Sed, ut alia non tangam, vehementer dubitari potest, an, sic positi,

Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,

denotare queant *pueros.* Certe Satyr. I, vi, 74. legitur:

Quo pueri, *magnis e Centurionibus orti,*
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant, octonis referentes Idibus aera.

Dissentit itidem *Gesnerus:* „ Hic illo [versu] Satirice utitur, ut in-„ dicet, senes etiam toto die puerili illa exercitatione computandi, „ numeros & aera suarum rationum tractandi, occupatos esse. Ita „ hic versus, qui insiticius videri poterat, & visus est Cuningamo, „ gratiam & Venerem addet orationi. „ Sed talis argumentatio Criticis non satisfaciet.

Metam. v, 227.

Quin etiam mansura dabo monumenta per aevum,
Inque domo soceri semper spectabere nostri:
[Ut mea se sponsi soletur imagine conjux.]

Ultimo versu Perseus non satis decore facetus videtur; praesertim cum subsequatur v. 236.

Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat.

Ego scripsissem:

Quin etiam mansura dabo monumenta per aevum,
Inque domo soceri semper spectabere nostri.

Nec deerunt forte, qui non aliter *Ovidium* scripsisse judicent.

Lib. vi, 279.

A

A quibus ad coelum liventia brachia tendens,
Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore;
Pascere, ait; satiaque meo tua pectora luctu:
[Corque ferum satia, dixit: per funera septem]
Efferor: exsulta; victrixque inimica triumpha.

Heinsius ad 282: „ Cum *ait* jam praecesserit, otiosum est hoc lo- „ lo τὸ *dixit.* quare tollatur meo periculo hic versus, quem com- „ menti sunt, qui non intelligebant, quantum esset acuminis in il- „ lo, *Efferor.* nisi mavis praecedentem tolli. „ Sed antecedentes,

Corporibus gelidis incumbit; *& ordine nullo*
Oscula dispensat *natos suprema per omnes.*

melius conveniunt v. 281. *Pascere,* ait, quam sequenti, *Corque ferum satia,* dixit. Deinde dimidius versus huc translatus est ex simillimo loco [IX, 175.]:

tendens *ad sidera palmas,*
Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris:
Pascere: *& hanc pestem specta,* crudelis, *ab alto:*
Corque ferum satia:

qui cum positus esset ante oculos *Capoferrei,* tamen corrigere conatus est:

satiaque meo tua lumina *luctu,*
Corque ferum satia, vixi: ——

Servandus igitur est v. 281. delendus autem 282: quod inficeta rei verborumque repetitio,

Pascere, ait; satia*que meo tua* pectora *luctu:*
Cor*que ferum* satia, dixit ——

vel maxime confirmat. *Dixit,* autem peti potuit e. v. 286. *Dixerat;* ut, *per funera septem Efferor,* e 285. *post tot quoque funera vivo.*
Lib. VII, 74.

Ibat ad antiquas Hecates Perseïdos aras:
Quas nemus umbrosum, secretaque silva tegebat.

Et

Et jam fortis erat, pulsusque residerat ardor;
Cum videt Aesoniden: extinctaque flamma revixit.
Erubuere genae; totoque recanduit ore.
Ut solet a ventis alimenta resumere, quaeque
Parva sub inductâ latuit scintilla favillâ,
Crescere; & in veteres agitata resurgere vires:
[Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, specie praesentis inarsit.]

Heinsius ad v. 83: ,, hic versus pro spurio ἐς κόρακας ablegandus. ,, *Burmannus* autem: ,, Neque mihi satis placet versus; non enim re- ,, cte dicitur ipse *amor inardere specie juvenis:* sed desiderari tamen ,, alium, qui respondeat praecedenti, & sensum perficiat puto, & ,, hunc forte pro vero suppositum. nam non solet noster ita compa- ,, rationes claudere, ut scintilla solet resurgere in veteres iras, ita ,, lentus amor; sed addi deberet, sic jam lentus amor & jam langue- ,, re visus, nova incrementa capere, vel simile quid. ,, Mihi placet *Heinsii*, versum delentis, sententia; atque argumentum, quo *Burmannus Heinsii* sententiam firmat. Illud non probo, quod *Heinsius*, deleto v. 83. sequentem retinet. Etenim, sicut bene *Burmannus*, poëta ,, non solet ita comparationes claudere, ut scintilla ,, solet resurgere in veteres iras, ita lentus amor; sed addi deberet, ,, sic jam lentus amor & jam languere visus, nova incrementa cape- ,, re, vel simile quid. ,, Quod autem *Burmannus* adjungit, ,, alium ,, desiderari versum, qui respondeat praecedenti, & sensum perficiat, & hunc [*Ut vidit* —] forte pro vero suppositum, ,, non libenter ei dederim. Nihil enim deest huic comparationi, sive, ut *Vossio* placebat, collationi: Amantis Medeae restincta flamma ad Iäsonis adspectum revixit;

Ut solet a ventis alimenta resumere, quaeque
Parva sub inductâ latuit scintilla favillâ,
Crescere; & in veteres agitata resurgere vires.

Si quis tamen dubitet, eum poëta coget credere, qui similium vel in his libris copiam suppeditat; ut IV, 362. V, 570. XII, 276. VI, 46.

Sed tamen erubuit; subitusque invita notavit
Ora rubor: rursusque evanuit; ut solet aër

Pur-

Purpureus fieri, cum primum Aurora movetur;
Et breve poſt tempus candeſcere Solis ab ictu.

Itaque non dubito, quin, duobus verſibus ejectis, legendum ſit:

Et jam fortis erat, pulſusque reſiderat ardor;
Cum videt Aeſoniden: extinctaque flamma revixit.
Erubuere genae; totoque recanduit ore;
Ut ſolet a ventis alimenta reſumere; quaeque
Parva ſub inductâ latuit ſcintilla favillâ,
Creſcere, & in veteres agitata reſurgere vires.

At male feriati correctores, qui poſtremos verſus πρότασιν eſſe crederent, ἀπόδοσιν ſubjecerunt;

Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, ſpecie praeſentis inarſit:

quam barbaries, & inficeta rerum verborumque repetitio redarguunt: verborum, *Cum* videt *Aeſoniden*, *Ut* vidit *juvenem;* rerum,

Et jam fortis erat, pulſusque reſiderat ardor,
Cum videt Aeſoniden, extinctaque flamma revixit;

&,

Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, ſpecie praeſentis inarſit.

ib. vſ. 577.

Semanimes errare viis, dum ſtare valebant,
Adſpiceres; flentes alios, terraeque jacentes;
Laſſaque verſantes ſupremo lumina motu.
[Membraque pendentis tendunt ad ſidera coeli,
Hîc, illic ubi mors deprenderat, exhalantes.]

Capoferreus, adulterinorum verſuum diligens inveſtigator, multis docuit argumentis in hoc numero ponendum eſſe 580.

Membraque pendentis tendunt ad ſidera coeli.

Sed, eo ſublato, vinculum deerit, quo copulentur,

 Laſ-

Lasſaque verſantes ſupremo lumina motu,
Hîc, illic ubi mors deprenderat, exhalantes.

Quapropter & hunc tollendum judico, praeſertim cum poëta ſic illud, *exhalare*, non uſurpaverit. Idem *N. Heinſio* viſum: ſed dubitans, & revocans ſe ſubjecit: „ niſi emendatione placet ſuccurri, „ ut reſcribatur:

„ *Hîc, ubi mors*, animam, *deprenderat, exhalantes.*„

Infeliciter. Etenim mutatio non tolerabilis; omiſſa copula; ac turbatus ordo verborum repugnant. Ineptus autem verſificator ſua derivavit e libr. VI, 245.

Ingemuere ſimul, ſimul incurvata dolore
Membra *ſolo poſuere: ſimul* ſuprema jacentes
Lumina verſârunt; *animam ſimul* exhalârunt:

quod ignorans *Burmannus* vehementer laborat, quomodo non tuenda tueatur.

Lib. VIII, 355. de apro vulnerato:

Ira feri mota eſt: nec fulmine ſecius arſit:
[Lux micat ex oculis, ſpiratque e pectore flamma.]

Hunc verſum, cum, multis ductus argumentis, adulterinum eſſe docuiſſem, deinde vidi *Capoferreum* ſimilibus olim confutaſſe. Silet tamen *Burmannus.*

Lib. IX, 359. de Dryope mutata:

Spectatrix aderam fati crudelis; opemque
Non poteram tibi ferre, ſoror; quantumque valebam,
Creſcentem truncum, ramosque amplexa, morabar:
[Et (fateor) volui ſub eodem cortice condi.]

Apud *Antoninum Liberalem* cap. VI. Periphante in avem mutato, conjux orat, ut in avem, ejus conſuetudine utentem, mutetur; & apud noſtrum Metam. IV, 592. Harmonia, cum maritus in anguem verſus eſſet, rogat:

cur

cur non
Me quoque, coelestes, in eundem vertitis anguem?

Novi tamen aliquem, cui suspectus sit versus,

Et, fateor, volui sub eodem cortice condi.

Quippe post, *aderam*, *poteram*, *valebam*, *morabar*, aptius sequeretur, *volebam*; *fateor*, autem vix patienter ferri potest. Patientius tamen ferri posset, admissâ veteris amici conjecturâ:

Et pariter *volui sub eodem cortice condi.*

ibid. v. 619.

Quippe nec ille potest (ut jam mea vota relinquam)
Non tamen ausorum semper memor esse meorum.
Et, quia desierim, leviter voluisse videbor:
[Aut etiam tentasse illum, insidiisque petîsse.]
Vel certe non hoc, qui plurimus urit, & ussit
Pectora nostra, Deo, sed victa libidine credar.

Versus 622.

Aut etiam tentasse illum, insidiisque petîsse,

mihi suspectus est, quia languet, nec commode pronunciari potest; melius itidem cohaerent,

Et, quia desierim, leviter voluisse videbor:
Vel certe non hoc, qui plurimus urit, & ussit
Pectora nostra, Deo, sed victa libidine credar.

Fictus autem videtur ex 633.

Cum pigeat tentasse, *libet* tentare, *modumque*
Exit.

Erunt forte, qui mirentur me non argumentari; fictum esse versum, quem Latinitas non ferat. Negant enim, qui pure & emendate loquantur, *aut*, &, *vel*, conjungere. *Withofius*, ne plures commemorem, Praemet. Cruc. Crit. p. 114: „ Adde, quod in vulgata

 lectio-

„ lectione [Metam. *Ovid.* I, 546.] usus conjunctionis *aut* sequente „ τῷ *vel* sit non adeo Latinus; veteres autem ex duobus illis *aut* & „ *vel* alterutrum utrinque usurpare ament. —— „ Sed mirari desinent, si consideraverint haec poëtae loca Metam. xv, 600.

vos urbe virum prohibete, Quirites;
Vel, *si dignus erit, gravibus vincite catenis:*
Aut *finite metum fatalis morte tyranni.*

in Ibin v. 285.

Aut *velut Euryali, qui sceptrum cepit ab illo,*
Sint artus avidis anguibus esca tui.
Vel *tua maturet, sicut Minoïa fata,*
Per caput infusae fervidus humor aquae.

v. 299.

More vel *intereas capti suspensus Achaei,*
Qui miser auriferâ teste pependit aquâ.
Aut, *ut Achillidae cognato nomine clarum*
Opprimat hostili tegula jacta manu.

v. 463.

Aut, *ut Abantiades*, aut, *ut Cygneïus heros,*
Clausus in aequoreas praecipiteris aquas.
Victima vel *Phoebo sacras macteris ad aras,*
Quam tulit a saevo Theudotus hoste necem.
Aut *te devoveat certis Abdera diebus.*

& *Propertii* III, xx, 25.

Illic vel *studiis animum emendare Platonis*
Incipiam; aut *hortis, docte Epicure, tuis:*
Persequar aut *studium linguae, Demosthenis arma.*

& II, II, 58.

& incedit vel *Jove digna soror:*
Aut *cum Munychias Pallas spatiatur ad aras.*

Quamvis enim *vel*, &, *aut* in mss. libris interdum permutentur, ut *Propertii* III, xv, 10: tamen ipsa ratio, legesque carminis non sinunt semper ad errores librariorum confugere.

XI,

xi, 560.

tenet ipse manu, quâ sceptra solebat,
Fragmina navigii Cëyx: socerumque patremque
Invocat (heu!) frustra. sed plurima nantis in ore
Halcyone conjux. illam meminitque refertque:
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,
Optat; & exanimis manibus tumuletur amicis.
(Dum natat; absentem, quoties finit hiscere fluctus,
Nominat Halcyonen, ipsisque immurmurat undis.]
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur: & ruptâ mersum caput obruit undâ.

Cui non sufficiant,

Sed plurima nantis in ore
Halcyone conjux. illam meminitque refertque;
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus
Optat, & exanimis manibus tumuletur amicis?

Repertus tamen est, qui, sufficere non ratus, adjiceret:

Dum natat; absentem, quoties finit hiscere fluctus,
Nominat Halcyonen, ipsisque immurmurat undis.

At primum post, *Halcyone*, *illam*, *illius*, inportune ingeritur, *Halcyonen.* Deinde idem narratur, videlicet nantem Cëyca nomen Halcyones in ore habuisse; quod itidem narratur v. 544. & 665. Praeterea, *nantis in ore Halcyone*, &, *Dum natat*, *nominat Halcyonen*, a vitio, quod vocatur ταυτολογία, vindicari nequeunt; nec grata est repetitio vocum, *fluctus*, *fluctus*, *fluctus*; &, *undis*, *undâ.* Postremo, quis ferat, *absentem* Halcyonen? Absentem fuisse noveramus ex serie narrationis, & v. 554.

Cëycis in ore
Nulla, nisi Halcyone *est; &, cum desideret unam,*
Gaudet abesse *tamen.*

Aufer itaque vilem pannum vesti pulchrae male assutum.

Non dissimilis interpolatio deprehenditur in his versibus [viii, 603.]:

 Hanc

Hanc quoque complectar. movit caput aequoreus Rex,
Concussitque suis omnes adsensibus undas.
Extimuit Nymphe; nabat tamen. ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu.
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, & inductâ condi praecordia terrâ.
[Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.]

Nihil enim differunt,

totum durescere sensi
Corpus, & inductâ condi praecordia terrâ,

&,

Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes.

Arguunt & repetitiones verborum, *natantis*, artus *natantes; terra, terra; dum, dum; complector*, (ita viginti codices, pro, *contrecto*) *amplexa est*. Hinc & *Heinsius* ad v. 605. notavit: ,, Aut hi quatuor ,, versus sunt tollendi pro superfluis, aut illa duo, quorum initium, ,, *Dum loquor*, ne bis idem dicat. Miror interpretes non vidisse. ,, Priori sententiae liber Francof. favet, in quo, sicut indicat *Burmannus*, ,, deerant versus 604, 605, 606. & duo sequentes mar- ,, gini adscripti. ,, Sed, meo judicio, si non v. 609. & 610. certe 609. delendus est. Quis enim ferat insicetum & stultum illud,

movit caput aequoreus Rex,
Concussitque suis omnes adsensibus undas.
[Dum loquor, amplexa est artus nova terra natantes.]?

Equidem miror *Heinsium* tulisse.

Fast. VI, 802.

Unde trahit Marcia casta genus.
Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco;
In quâ par facies nobilitate suâ est.
[Par animo quoque forma suo respondet in illâ:
Et genus, & facies, ingeniumque simul.]
Nec, quod laudamus formam, tu turpe putâris.
Laudamus magnas hac quoque parte Deas.

Bur-

Burmannus ad v. 806. *Et genus & facies*]. „ In Francof. erat ad„ scriptum: Haec adulterina sunt: nam jam ante idem dixerat; & „ ita censebat *Broekhusius*. „ Quae sic posita sunt, ut ad unum v. 806. pertinere diceres. Totum tamen distichon *Broekhusio* suspectum fuisse videtur. Ut ut est, ego, licet *Burmannus* notam de more parum curaverit, in adulterinis varias ob caussas habendum esse judico. Primum faciem tantummodo laudatam fuisse subsequentia probant:

Nec, quod laudamus formam, tu turpe putâris.
Laudamus magnas hac quoque parte Deas.

Deinde, *forma par animo respondet in illâ*, Latinum non est; tum perverse dictum: nam dici debuerat: *animus quoque formae respondet*; vel, *animus formae par est*: ut Metam. xiv, 322.

Forma *viro*, *quam cernis*, erat.
Par animus formae.

Praeterea versificatoris infantiam prodit inficeta rei repetitio. Nam, quod adulterinis indicatur versibus, poëta jam praecedentibus explicaverat:

Unde trahit Marcia casta genus.
Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco;
In quâ par facies nobilitate suâ est.

Prodit itidem jejuna vocum repetitio; *facies*, *facies*; *genus*, *genus*; *sua*, *suo*. Denique, duobus illis versibus sublatis, apte cohaerent:

Unde trahit Marcia casta genus.
Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco;
In quâ par facies nobilitate suâ est.
Nec, quod laudamus formam, tu turpe putâris.
Laudamus magnas hac quoque parte Deas.


quibus similia reperias iv, 306.

Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto;
Nec facies inpar nobilitate suâ est.

Ca-

Casta quidem, sed non & credita.

Postremo magni ponderis est nota, quae reperitur in libro Francofurtensi.



CAPVT XII.

In Tristium libris aliquot versus adulterini notantur. Insignia in modis syllabarum vitia de praestantissimorum poëtarum carminibus nondum sublata sunt. Ultima corripi nequit in, responde, vide, vale. Contraria Martialis, Manilii, Valerii Flacci, Phaedri, & Catonis loca jam sunt correcta. De versu Persii, & modo vocis, videsis. Nec vale dicere, nec valedicere ferri potest in Ovidio. Meterea turba nusquam fuit. De Colchis, Euxino mari disjunctis, dici nequit, eos a Tomitis vix Danubio separari. Iäzyx tribus syllabis effertur a bonis poëtis; a malis autem Jason, & Jaspis duabus pronuntiantur. Iülus. Iäpetionides. Prometheus ab Ovidio non vocatur Japetides. Multi, in his Hemsterhusius, refutati. Candor in amicis non est Ovidianum. Quaedam disticha diversis de caussis inprobata.

Ovidius Trist. I, VIII, 17.

Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere, & adloquii parte levare tui?
Inque meos si non lacrymam dimittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri?
[Idque, quod ignoti faciunt vale dicere saltem;
Et vocem populi publicaque ora sequi?
Denique lugubres vultus, numquamque videndos
Cernere supremo, dum licuitque, die?]
Dicendumque semel toto non amplius aevo
Accipere, & parili reddere voce, vale?
At fecere alii nullo mihi foedere juncti;
Et lacrymas animi signa dedere sui.

Quamquam Critici nobiles in eo maxime elaborarunt, ut poëtarum scripta correcta & emendata ederentur, nondum tamen curare potuerunt,

tuerunt, ut insignia in modis syllabarum vitia tollerentur. Ut enim nunc alia praetermittam, permansit in hujus Elegiae v. 21.

Idque, quod ignoti faciunt, vale dicere *saltem.*

Scaliger quidem, *Marcilius*, *Scriverius*, *Vossius*, *Barthius*, & *Daumius* in ea fuerunt haeresi, quae contendebat, inperativos verborum, *responde*, *vide*, *vale*, corripi posse; sed locis bonorum poëtarum suspectis aut perspicue mendosis decipiebantur. Nam *Martialis* III, IV, 7. pro,

Si quando veniet, dicet: responde: *poëta*
Exierat.

e MSS. reponendum:

veniet, tu respondeto: *poëta* caet.

v. *Gruterus*, *Gronovius*, & *Withofius* ad *Caton.* Dist. IV, 5. ubi & in *Manilii* V, 736. pro,

Sic etiam magno quaedam respondere *mundo*
Haec natura facit.

corrigit,

quaedam respublica *mundo est:*

quam palmarem correctionem *Bentlejus* itidem fecerat.

In *Valerii Flacci* lib. V, 595. legendum esse,

viden' alta *comantem*
Pectora;

non, vide lata *comantem*, *Pius*, *Carrio*, *Balbus*, *Heinsius*, & *Burmannus* consentiunt.

In *Phaedro* quoque III, VI, 3. *Burmannus* fidenter edidit:

Vide, dolone ne *collum* pungam *tibi;*

pro,

Vide, ne dolone *collum* compungam *tibi.*

Quid? in *Catonis* Diſtich. IV, XXV. *Eraſmus*, & *Withofius* ferre nequiverunt:

Hoc, vide, *ne rurſus levitatis crimine damnes.*

Ille enim, *fuge*; hic probabilius, *cave*, reponendum cenſuit.

Erunt forte, qui parem *Perſio* medicinam ferre velint I, 108.

Auriculas? vide ſis, *ne majorum tibi forte*
Limina frigeſcant.

Sane favet *Horatius* Satyr. II, 1, 80.

Sed tamen ut monitus caveas, *ne forte negotî*
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum.

Aliis tamen, *vide*, conpoſitum cum, *ſis*, correptum videbitur. In locis quidem duobus *Terentii* corripitur Heautont. II, 111, 128.

Sed heus tu, videſis, *ne quid imprudens ruas?*

& 133.

Laudabo. videſis, *tutemet mirabere.*

Reſtat, *vale;* quod *Vosſius* A. G. II, XXV. *Barthius* ad *Grat.* v. 461. *Daumius* ad *Caton.* Diſtich. IV, 25. ex hoc potisſimum loco docuere corripi: nam verſus, qui legitur Catal. *Pith.* p. 126. [Anthol. *Burm.* T. II. p. 154.]

Semper perpetuo vale *mi carisſime conjux,*

hominis eſt barbari; *Maronis* autem,

vale, vale, *inquit*, *Iola*,

nihil probat. Ego vero diutius in *Ovidio* ferendum non puto, quod in *Manilio*, *Phaedro*, *Valerio Flacco*, & *Catone* Critici ferre noluerunt. Nec tamen ſequor *J. M. Gesnerum*, qui in Theſ. L. L. v. *Va-*

Valeo § 5. scribit: „ *Ultima in* vale *producitur.* — *quod in* Valedico
„ *laudamus Ovidianum exemplum vel compositione excusatur*, *ut* vide-
„ sis, *vel emendandum est. Ovidius*, *qui frequenter adeo utitur hoc*
„ *verbo*, *semper alias producit.* „ &, in v. *Valedico*: „ *Laudatur*
„ *Ovid. Trist.* 1, 7. (8) 21. Idque, quod ignoti faciunt, Valedi-
„ cere saltem. *Burm. divisim* vale dicere: *qui etiam refert annotatio-*
„ *nem Francii*, *qui observat*, *postea* v. 26. *demum* Vale *illud ulti-*
„ *mum memorari: hic legendum*, benedicere. *Recte sane.* Valedi-
„ cere *illud Monachum sapit.* „ Etenim, *benedicere*, non tantum loco non congruit; sed & Monachi doctrinam magis redolet. Ne plura; mihi minime dubium videtur, quin delendi sint versus:

Idque, *quod ignoti faciunt*, *vale dicere saltem*;
Et vocem populi publicaque ora sequi.

Nam si divisis vocibus, *vale dicere*, legeris, insigne vitium in modo syllabae deprehendes; si, conpositione conatus excusare, *valedicere*, verbum viris doctissimis, tanquam *Vossio*, *Cellario*que, jure suspectum, ferre cogeris. Dein aeque suspecta loquendi genera sunt, *sequi vocem & ora publica*; &, *populi publicaque:* aliud enim est, *peragar* populi publicus *ore reus* Trist. I, 1, 24. Praeterea fraudem ostendit ingrata verborum repetitio, *valedicere*, *dicendum vale; faciunt*, *fecere; vocem*, *voce.* Postremo,

Dicendumque semel toto non amplius aevo
Accipere, *& parili reddere voce*, *Vale.*
At fecere alii, *nullo mihi foedere juncti:*

idem est, quod,

Idque, *quod ignoti faciunt*, *vale dicere saltem*,
Et vocem populi publicaque ora sequi.

Hos autem versus *Wakkerus*, juvenis eruditus, itidem nuper Amoen. c. 13. p. 120. damnavit hac brevi nota: „ versus spurii videntur: ut res pateat, sequentes aliquot adscribam:

Denique lugubres — „

Sed hoc amplius diſtichon ſequens non una de cauſſa ſuſpectum eſt. Aptius quidem cohaerebunt:

Quid fuit ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & adloquii parte levare tui?
Inque meos ſi non lacrymam dimittere caſus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri?
Dicendumque ſemel toto non amplius aevo
Accipere, & parili reddere voce, Vale?
At fecere alii, nullo mihi foedere juncti,
Et lacrymas animi ſigna dedere ſui.

II, 185.

Mitius exſilium ſi das, propiusque, roganti;
Pars erit e poenâ magna levata meâ.
Ultima perpetior, medios projectus in hoſtes:
Nec quisquam patria longius exſul abeſt.
Solus ad egreſſus miſſus ſeptemplicis Iſtri,
Parrhaſiae gelido virginis axe premor.
[Jazyges, & Colchi, Metereaque turba, Getaeque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.]
Cumque alii cauſſa tibi ſint graviore fugati,
Ulterior nulli, quam mihi, terra data eſt.

Duo verſus inſerti,

Jazyges, & Colchi, Metereaque turba, Getaeque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis,

venuſtatem carminis *Ovidiani* contaminant, ut

Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Primum turbant ſermonis ſeriem. Cohaerent enim: ſolus ad exitus Iſtri miſſus Arcto premor, &, cum alii graviores ob cauſſas exulent, ego longiſſime fugatus ſum. Sed non cohaerebunt, ſi interpoſueris: Iäzyges, —— vix aquis Danubii prohibentur. Auctor cogitabat hoſtes v. 187. memoratos: at hoſtes nominantur v. 195.

Lon-

Longius hac nihil est, nisi tantum frigus, & hostis.
Hactenus Euxini pars est Romana sinistri:
Proxima Basternae, Sauromataeque tenent.

Effingere autem potuit e v. 203.

Ne timeam gentes, quas non bene summovet Ister.

& Pont. I, II, 77.

Nec vacat, in quâ sint positi regione Tomitae,
Quaerere, finitimo vix loca nota Getae.
Aut quid Sauromatae faciant, quid Iäzyges acres,
Cultaque Oresteae Taurica terra Deae.
Quaeque aliae gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.

& IV, VII, 9.

Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iäzyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

Deinde totus versus,

Jazyges, & Colchi, Metereaque turba,

tantam scriptoris inscitiam prodit, ut a doctis & elegantibus interpretibus tam diu patienter ferri potuisse demirer. Nam quae *turba Meterea?* Respondet *Merula:* „ Aut urbem Metereant eam intelli- „ ge, quam Ptolemaeus supra Thyram fluvium ponit penes Daciam, „ & Metonium appellat. Aut certe *Neurea* legas ——. „ Sed *Metonium* (*Ptolem.* III, 5. Μαιτώνιον) & *Meterea* multum differunt; atque adeo nomen gentis, non urbis, requiritur. *Neurea* non penitus *Ortelio* displicet, propterea quod *Valerius Flaccus* VI, 121. *Neuros* & *Iäzygas* conjungit: sed *Neureus* inusitatum est. Nec de *Neuris* dici potest, eos a Tomitis vix Danubio separari. Quis autem Colchos, Euxino mari disjunctos a Tomitis, ferre possit? *Merula* quidem aperte & ingenue confitetur, se —— „ non intelligere, quo pacto „ Danubio ab his se arceri dicat *Ovidius*, „ atque ideo „ non *Col-* „ *chi*, sed *Corsi* legendum arbitratur; *Corsos* enim Sarmatarum po-

„ pulos fuisse, *Plinium* IV, 25. scribere. „ sed illic *Aorsi* reperiuntur. In alia *Micyllus* discedit haec notans: „ Colchos accipere etiam „ eos licet, qui Medeam fugientem persecuti, cum illam apprehendere non potuissent, circa Tomos, & insulas Brigeïdas consederunt, ut Apollon. lib. 4. „ Sed nec Colchos circa Tomos consedisse docuit; nec Tomos cis Danubium poni cogitavit; nec insularum, in quibus *Apollonius* Rhodius Colchorum partem consedisse tradit, habuit notitiam. Si enim IV, 330.

Δοιὰς Ἀρτέμιδος Βρυγηΐδας ἀγχόθι νήσους,

cum 470, & 481. contuleris, Absyrtidas intelligi patebit. Absyrtidas autem veteres, novique scriptores ponunt in Hadriatico mari, longissime disjuncto. v. Interpr. & *Cluver.* Ital. Ant. I, XXI. p. 214.

Postremo vox, *Iäzyges*, quatuor syllabis effertur. *Valerius Flaccus* VI, 122.

Neurus, & expertes canentis Iäzyges *aevi.*

& 281.

Increpat, & stricto sic urguet Iäzygas *ense.*

Ovidius in Ib. 137.

Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iäzyges *arcu.*

Pont. I, II, 79.

Aut quid Sauromatae faciant, quid Iäzyges *acres.*

&, ut dubitatio praecidatur, IV, VII, 9.

—— *Ferox ut ducat* Iäzyx.

Deterioris autem seculi scriptores, *Jason*, *jaspis* caet. duabus syllabis efferebant; ex. gr. *Josephus* Iscanus de B. T. IV, 325.

Jasonium *relegens Philoctetes praevius aequor.*

& 455.

Jaspide *vestitur.*

&

& ignotus verſificator Anth. *Burm.* T. 1. p. 575.

Auro quid melius? jaspis. *quid jaspide? ſenſus:*

ut edi debuerat pro, *ïaspis*, & *ïaspide.* Vix itaque dubito, quin vox elata tribus ſyllabis,

Jazyges & ——

indicium ſeculi ſit.

A me diverſi ſunt *Voſſius* de Anal. 11, 5. *Dausquejus* ad *Sil.* VIII, 91. *Dreſemius* ad *Joſeph.* Iscan. IV, 326. *Capoferreus* ad *Ovid.* Met. V, 111. *Waſius* de Licentia V. P. p. 204. *Dorvilius* in Vanno Crit. p. 402. & vir doctus Obſerv. Miſc. Vol. VI. p. 355. ſed non audiendi. Dicet aliquis: Quid? tu contemnis *Virgilium*, *Flaccum* & *Ovidium*, quos ſententiae locupletisſimos habent auctores? Ego vero poëtas eximios non contemno: verumtamen exemplis, quae prolata ſunt, non moveor. Cur autem non movear, paucis docebo.

Virgilii locus Aen. I, 288.

Julius *a magno demiſſum nomen* Iülo,

non magni ponderis eſt. Ut enim nunc alias rationes omittam, probari deberet, *Iülus*, nomen e tribus ſyllabis conpoſitum, duabus efferri.

In *Horatii* Carm. IV, II, I.

Pindarum quisquis ſtudet aemulari,
Jule, *ceratis* ——

Heinſius ad *Sil.* VIII, 91. corrigebat:

Pindarum quisquis ſtudet aemulari, I-
üle, *ceratis.* ——

Nec aliter conplures edidere, tanquam *Gesnerus*, *Sanadonus*, *Cuningamius*, &, auctore *Paſſeratio*, *Lambinus.*

In *Ovidii* Metam. IV, 631.

Iäpetionides *Atlas fuit:*

Capo-

Capoferreus ad v. 111. legendum cenfebat; *Japetioniades:* quod octo codicum firmatur auctoritate. Sed quis tam perverfus eft, ut, repertis frugibus, glande pafci velit? Nihil fincerius eft edito, *Iäpetionides.* hoc ufi *Hefiodus* Θεογ. 528, 543. *Apollonius* Rhodius III, 1086. *Julianus* Anth. Gr. IV, VIII, 1, 6. & *Claudianus* in Eutrop. II, 491.

> Iäpetionidas *generis primordia noftri*
> *Disfimili finxiffe manu.*

quod ipfum ftupore librariorum multis in libris depravatum eft.

Ejusdem operis lib. v, 111.

> *Tu quoque*, Japetide, *non hos adhibendus ad ufus:*

quo *Wafius* & *Capoferreus* abutuntur, *Heinfius* & *Burmannus* edidere, *Tu quoque*, Iäpetide; in aliis autem libris eft, *Japetion*, *Lampetie.* Ego non habeo, quod liqueat; folis tamen luce clarius videtur *Ti. Hemfterhufium* vehementer errare, qui fcribat ad *Ariftoph.* Plut. p. 207: „ Japeti filius Prometheus non tantum *Japetides Ovi-* „ *dio* Metam. v, 11. [111.] ubi quae fcripfit *Capoferreus* partim bo- „ na funt, partim mala; fed etiam Ἰαπετιονίδης *Hefiod.* E. καὶ H. v. „ 54. quomodo *Japetionides Atlas* eidem *Ovidio.* „ Quippe paucis in verbis tria peccata non mediocria animadverto: unum, quod Prometheo fedes tribuit apud Cephenas: alterum, quod inauditum nomen fingit: tertium, quod carminis legem negligit: *Iäpetus* enim &, *Iäpetionides*, prima producta, fecunda brevi pronuntiantur.

Ex disputatis, nifi fallor, illud jam perfpicuum eft, *Ovidium* duobus verfibus ejectis, dediffe:

> *Solus ad egreffus miffus feptemplicis Iftri*,
> *Parrhafiae gelido virginis axe premor;*
> *Cumque alii cauffa tibi fint graviore fugati*,
> *Ulterior nulli, quam mihi, terra data eft.*

ita cuncta, quod unicum veritatis argumentum putatur, praeclare inter fe cohaerent.

III, vi, 7.

[Quique erat in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus eſt illi, quem colis ipſe, viro.]

Hoc quoque diſtichon mihi ſuſpectum eſt. In antecedentibus & ſequentibus agitur de amore mutuo Naſonis & amici. Itaque non erat, cur hoc amici *candor in amicis* celebraretur, nec cur amicus propter candorem laudaretur, poëta, qui ſemper jure de ſuo praedicat candore, non item. Quid? quod, *candor in amicis*, non eſt *Ovidianum.* Quid? quod candoris commemoratio ſeriem ſermonis turbat? Quid? quod ſimiliter turbat, *cognitus eſt*, inter, *erat*, &, *celabas*, *dabas*, *eras*, poſitum. Quid? quod noſter ſcripſiſſet,

Cognitus eſt ipſi, *quem colis* usque, Deo:

quemadmodum *N. Heinſius*, ſed immani mutatione factâ, corrigebat. Quid? quod repetitae voces, *notus*, *cognitus*; *erat*, *erat*; *carior*, *caris*; indicia fraudis oſtendunt. Quid? quod, expunctis verſibus, praeclare cohaerent:

Foedus amicitiae nec vis, carisſime, noſtrae;
Nec, ſi forte velis, disſimulare potes.
Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me totâ junctior urbe fuit.
Isque erat usque adeo populo teſtatus, ut eſſet
Pene magis quam tu, quamque ego, notus amor.
Nil ita celabas, ut non ego conſcius eſſem;
Pectoribusque dabas multa tegenda meis.
Cuique ego narrabam ſecreti quicquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.

vii, 13. ad Perillam:

Nam tibi cum fatis mores Natura pudicos,
Et raras dotes, ingeniumque, dedit.
Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad undas,
Ne male fecundae vena periret aquae.
[Primus id adſpexi teneris in virginis annis:
Utque patet, venae duxque comesque fui.]

 Ergo,

Ergo, ſi remanent ignes tibi pectoris îdem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus.

Ante v. 19. *Ergo ſi* —— multi codices exhibent:

Tunc quoque (ſed forſan noſtrum delevit amorem
Tempus) eram nimio junctus amore tibi:

quos verſus Critici jure ſuſtulerunt: ſed hoc amplius tollendi videntur antecedentes:

Primus id adſpexi teneris in virginis annis:
Utque patet, venae duxque comesque fui.

Nam vix quicquam dicitur, niſi quod in prioribus continetur:

Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad undas,
Ne male fecundae vena periret aquae.

Voces autem, *venae*, *dux*, invenuſte repetuntur poſt, *vena*, *deduxi;* ſerum vero nimis, *adſpexi ingenium*, poſt,

Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad undas.

Mitto, quod intelligi non poteſt, *Utque patet* ——.

IV, IV, 45.

Idque Deus ſentit: pro quo nec lumen ademtum eſt,
Nec mihi detractas posſidet alter opes.
Forſitan hanc ipſam (vivat modo) finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.
Nunc precor hinc alio jubeat diſcedere, ſi non
Noſtra verecundo vota pudore carent.
Mitius exſilium, paulloque propinquius, opto;
Quique ſit a ſaevo longius hoſte, locum.
[Quantaque in Auguſto clementia; ſi quis ab illo
Hoc peteret pro me, forſitan ille daret.]
Frigida me cohibent Euxini litora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Sem-

Semper animus aliquot de causis offenditur in versibus 53, 54: primum quod frigida sunt & jejuna,

si quis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret:

deinde, quod invenuste repetuntur, *ab illo, ille, illo:* tum etiam, quod inportune nomen Augusti videtur ingeri, cum Deus epistola tota vocetur (20, 45, 88.); &, *sentit, vivat, finiet, jubeat*, ab ipsa voce, *Deus*, v. 45. posita, pendeant. Accedit, quod cohaerent:

Mitius exsilium, paulloque propinquius, opto,
Quique sit a saevo longius hoste, locum.
Frigida me cohibent Euxini litora Ponti.
Sunt circa gentes, quae praedam sanguine quaerunt.

ut Trist. II, 185.

Mitius exsilium si das, propiusque, roganti;
Pars erit e poena magna levata mea.
Ultima perpetior medios projectus in hostes,
Nec quisquam patria longius exsul abest.
Solus ad egressus missus septemplicis Istri
Parrhasiae gelido virginis axe premor:

qui locus simillimus & maxime geminus *Francio* repugnat, qui v. 55. *Frigida me cohibent* —— initium novae Elegiae esse credebat. Itaque parum abest, quin ejiciam versus; ad quos fingendos ansam dare potuit poëta Pont. III, VII, 3.

Magna quidem res est, quam non audetis, amici.
Sed, si quis peteret, qui dare vellet, erat.

& hujus Eleg. v. 47.

Forsitan hanc ipsam (vivat modo) finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.

ibid. v. 81.

Laeta Deae ſignum, crudelia ſacra peroſae,
Transtulit ex illis, in meliora, locis.
[Haec igitur regio, magni penetralia mundi,
Quam fugere homines Dîque, propinqua mihi eſt.
Atque meam terram prope ſunt funebria ſacra,
Si modo Naſoni barbara terra ſua eſt.]
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela Deo!

N. Heinſius ad v. 85: „ Diſtichon etiam hoc Ovidianae venae vix eſt ut cenſeatur. „ Sane languet; nec ferri queunt, *propinqua*, *prope eſt*. Quid? quod ſupra dictum v. 63.

Nec procul a nobis locus eſt, ubi Taurica dira
Caede pharetratae paſcitur ara Deae.

Sed hoc amplius iisdem ferme de cauſſis antecedens ſuſpectum eſſe potuerat. Ego quidem ſcripſiſſem:

Laeta Deae ſignum, crudelia ſacra peroſae,
Transtulit ex illis, in meliora, locis.
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela Deo!

quod ſuavius eſſe qui non ſentit, nihil ſentit. Simile illud Triſt. III, 1, 47.

Cauſſa ſuperpoſitae ſcripto teſtata coronae
Servatos cives indicat hujus ope.
Adjice ſervatis unum, Pater optime, civem.

& V, XII, 67.

Scribimus, & ſcriptos abſumimus igne libellos.
Exitus eſt ſtudii parva favilla mei.
Nec niſi pars caſu flammis erepta, dolove,
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.
Sic utinam, quae nil metuentem tale magiſtrum
Perdidit, in cineres Ars mea verſa foret.

CAPVT



CAPVT XIII.

In libello, quo devovetur Ibis, adulterini versus latent. Nonnulli certis indiciis monstrantur. Salvagnii & Sanctii sententiae rationibus novis affirmantur. Poëtae refugerunt a verbo, dynastes. Danaïdum poenae mulieribus, non autem viris, constitutae sunt. Earum crudelitas praecipue notatur. Locus Senecae defensus. Burmannus & Wesselingius, de quodam disticho dissentientes, refutantur. Supplicia, quae tyranni de miseris sumserunt, & aliis dederunt, eodem carmine referuntur. Inprobatum loquendi genus, herba gramen habens. Intolerabilis videtur barbaries, Quique tenent pontem, quae tibi major erit. Ovidius, inimicum devovens, optat; Temporibus autem Futuris non utitur. Inficetae rerum verborumque repetitiones saepe spurios versus indicant. Tereïdes, inauditum Romanis nomen, inprobatur. A Tereus formari debet Terides. Tereos. Heinsius, Micyllus, & Burmannus refelluntur. Quae, vel qui Macedo fulmine cum conjuge sit percussus, intelligi nequit. Μακεδνός. *Interpolatorum consuetudo fuit, ut exemplis, ab Ovidio relatis, alia subinde intempestive subtexerent. Burmanni de ficto disticho sententia probata. Aglauros, livore macerata, se praecipitasse fertur. De verbis, Phryx & venator sis Berecyntiades. Attis. Novum poenae genus in his Diris solo versu pentametro non effertur. Conatus Heinsii repressus. An Ovidius exsilium suum quovis supplicii & mortis genere gravius & intolerabilius declaraverit? Versuum, quos Critici damnavere, comites saepe digni sunt, qui pari nota notentur.*

O*vidius* in Ibin v. 287.

Aut, velut Euryali, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus esca tui.
Vel tua maturet, sicut Minoïa fata,
Per caput infusae fervidus humor aquae:
[Utque parum mitis, sed non impune, Prometheus,
Aërias volucres sanguine fixus alas.]
Aut velut Etracides, magno ter ab Hercule quintus,
Caesus in immensum projiciare fretum.

Egregie *Salvagnius* ad 291: „ Hi duo Nasonis versus expungendi „ mihi videntur, tum quod absunt a membranis San-Victorianis „ optimae notae, tum quod eadem imprecatio repetitur elegantius „ ad v. 454. „ Quid? quod Prometheus ridicule *parum mitis* appel-

latur.

latur. Quid? quod inter, *Aut* —— *vel* — *Aut* — minus apte poni videtur, *Utque* —— *alas:* licet huic incommodo diverſa lectio medeatur, Ac, *velut Etracides*--. *Withofius* tamen, in intolerabilem juvenis temeritatem vehementer invectus, in Annot. ad Orat. Fun. *Simmermanni* p. 46. corrigit:

Utque parum mitis Samiorum *inpune* dynaſtes
Aërias volucres arbore *fixus alas.*

Sed, ut mittam, quod hiſtoria Polycratis aptius poneretur ad v. 299.

More vel intereas capti ſuſpenſus Achaei,
Qui miſer auriferâ teſte pependit aquâ;

&, quod poëtae ſemper refugerint a vocabulo, *dynaſtes*, immanes ejusmodi mutationes referre, eſt refutare. *N. Heinſius* conabatur emendare, *parum miti ſanguine;* vel,

Utque parum metuens, ſed non impune, Deorum.

Sed & hic operam & oleum perdidit. Ut enim taceam de mutatione non toleranda, Promethei ſupplicium v. 543. memoratur:

Fixus & in duris carparis viſcera ſaxis:
Ut cui Pyrrha ſui filia fratris erat:

in his autem Diris poëta bis idem non dicit.

Prudenter itaque *Sanctius* ad 563.

Vel videas, quod jam, cum flammae cuncta tenerent,
Hectoreus patria vidit ab arce puer:

,, Suspicor hoc diſtichum non eſſe *Ovidii*, ſed e margine in con-,, textum irrepſiſſe. Nam de Aſtyanacte e turri praecipitato jam ,, antea [v. 496.] dictum eſt. inſulſum diſtichon & nullius impreca-,, tionis nec ſalis.,, ad quod argumentum multa poſſunt adjungi, quibus ſagaciſſimi viri ſententia confirmetur: ſed in his non morabor, unum poſuiſſe contentus: inter infelices & inceſtos amores viſum pueri pesſime collocari:

Nec tibi, ſi quid amas, felicius Haemone cedat:

Ut-

Utque suâ Macareus, sic potiare tuâ.
[Vel videas, quod jam, cum flammae cuncta tenerent,
Hectoreus patriâ vidit ab arce puer.]
Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
Per facinus soror est cui sua facta parens.

Facessant itaque, qui nihil, ut *Salvagnius* & *Withofius* in Annot. memoratis, afferre possunt, quo versus insiticii defendantur.

v. 353.

Dî quoque tam faciant possis gaudere fideli
Conjuge, quam Talai, Tyndareique gener.
[Quaeque, parare suis letum patruelibus ausae,
Belides, assiduâ colla premuntur aquâ.]
Byblidos & Canaces, sicut facis, ardeat igne:
Nec, nisi per crimen, sit tibi nota soror.

Burmannus ad v. 356: „ *colla premantur* pr. edit. *premaris* unus Pa- „ tav. & tunc *Heinsius* priori versu volebat, *quamque*, vel, *utque* „ *parare*. „ Sed *Ovidius* optat, ut Ibis uxore gaudeat infideli, & cum libidinosa sorore corpus misceat. Ipsius igitur Ibidis supplicium memorare nihil attinebat. Quid? quod poëtae Danaïdum poenas mulieribus, non autem viris, constituunt. *Horatius* Carm. III, xi, 25.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas.

Hinc Cornelia apud *Propert.* IV, xi, 27.

si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.

& Deïanira apud *Senec.* H. Oet. v. 948.

Vacat una Danaïs. has ego explebo vices.

Ego miror homines sagaces non sensisse subditicium distichon esse, cum turbata carminis series fraudem posset ostendere. Requirebatur enim: Dii faciant, gaudere possis uxore tam fideli, quam gavisi sunt Aegypti filii; ut v. 353.

Dî

Dî quoque tam faciant posſis gaudere fideli
Conjuge, quam Talai, Tyndareique gener.

At inpoſtor, de verſibus inter ſe nectendis ſecurus, ad hos appoſuit,

Quaeque, parare ſuis letum patruelibus auſae,
Belides, aſsiduâ colla premuntur aquâ.

Deinde non tam notatur infidelitas, quam crudelitas Danaïdum. *Hyginus* f. 255. *Quae impiae fuerunt. Scylla,-- Ariadne -- Progne --* Danaïdes, conjuges ſuos patrueles occiderunt. *Ovidius* Pont. III, 1, 119.

Quid trepidas? quid adire times? non impia Progne,
Filiave Aeëtae voce movenda tuâ eſt:
Nec nurus Aegypti, *nec ſaeva Agamemnonis uxor;*
Scyllave, quae Siculas inguine terret aquas:
Telegonive parens, vertendis nata figuris;
Nexave nodoſas angue Meduſa comas.

& ſupra v. 177.

Quaeque gerunt humeris perituras Belides *undas*
Exulis Aegypti, turba cruenta, *nurus.*

Seneca H. Oct. 958.

ſi qua reſperſit manus
Viri cruore, nec memor caſtae facis
Stricto cruenta Belias *ferro ſtetit.*

& H. F. v. 498.

Nunc, nunc cruentae *Regis Aegypti* nurus,
Adeſte, multo ſanguine infectae manus.

Hic quidem *Gronovius:* ,, —— Quid? ſi, *cruenti* Regis?,, ſed conjecturam *Jortinus* refutat in Ephem. Britann. T. XVIII. p. 85: refutat *Naſonis* imitatio: refutat ipſe *Seneca* l. c.

Erunt etiam forte, qui ducant argumentum e v. 177, 178. quibus Belides memorantur:

In

In loca ab Elysiis diversa fugabere campis;
Quasque tenent sedes noxia turba, coles.
Sisyphus est illic saxum volvensque petensque;
Quique agitur rapidae vinctus ab orbe rotae:
Quaeque gerunt humeris perituras Belides undas,
Exulis Aegypti, turba cruenta, nurus.
Poma pater Pelopis praesentia quaerit; & idem
Semper eget, liquidis semper abundat aquis.
Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,
Visceraque adsiduae debita praebet avi.

Sane *Ovidius* iisdem exemplis in brevi carmine non utitur. At his versibus inimico Belidum poenas non precatur; sed in inpiorum sedibus collocandum praedicit, ubi Sisyphus, Ixion, Belides, Tantalus & Tityus criminum poenas luant. Conplures autem, qui noxiorum supplicia apud inferos describunt, Belidas commemorant, ut *Lucretius* III, 1021. *Virgilius* in Culice v. 244. *Horatius* Carm. III, XI, 29. *Tibullus* I, III, 79. *Seneca* H. F. v. 757. & ipse *Ovidius* Metam. IV, 461. Ego tamen eas et v. 177, 178. omisissem ob v. 189.

In te transscribet veterum tormenta reorum:
Manibus antiquis caussa quietis eris.
Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis:
Versabunt celeres nunc nova membra rotae.
Hic erit, & ramos frustra qui captet & undas:
Hic inconsumto viscere pascet avem.

ubi quatuorviri, quos antea memoravit, eodem ordine, sine Danaïsin, reducuntur. Omisit autem forsitan, ut *Seneca* Hipp. v. 1229. & Auctor Octaviae v. 621. propterea, quod ipsarum poena mulieribus constituta putabatur.

Caeterum versus 355, 356. fingi potuerunt ex Art. Am. I, 73.

Quâque parare *necem miseris* patruelibus ausae
Belides.

& Metam. IV, 461.

Molirique suis letum patruelibus ausae
Assiduae *repetunt*, *quas perdant*, Belides *undas*.

& *Propertio* II, 1, 69.

Dolia virgineis idem ille repleverit undis,
Ne tenera afsiduâ colla graventur aquâ.

ibid. v. 401:

Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos.

Burmannus: „ locus suspectus; quia de Diomede jam egit v. 381. „ E contrario *Wesselingius* ad Itin. Hieros. p. 603: „ *Ovidius* in Ibi 383.

„ *Ut qui Threïcii quondam praesepia regis*
„ *Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.*

„ & verf. 403.

„ *Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis*
„ *Impius humano viscere pavit equos.*

„ quos verfus miror suspectos fuisse viro clarissimo ex ea caussa, quod „ in prioribus, quos adscripsimus, Diomedis jam esset facta men- „ tio: illi enim non impii regis caedem, sed miserabile eorum exi- „ tium, quos equi adederant, exponunt; hi crudelissimi regis me- „ ritas poenas: ut adeo diversae sint poëtae in Ibin imprecationes. „ At *humanum viscus* est hominum, quibus tyrannus pavit equos; ut Heroïd. IX, 67.

crudi Diomedis imago,
Efferus humanâ *qui* dape *pavit equos:*

nam si Diomedis intelligi deberet, scriptum fuisset,

ipse suo viscere *pavit equos:*

ut v. 489.

Quam ferus ipse suo *periit mactatus* in antro
Proditus inclusae Cacus ab ore bovis.

& 367.

Ut

Ut qui perfusam miserorum saepe procorum
Ipse suo *melius* sanguine *tinxit humum.*

Itaque sententia foret: Pereas, ut Diomedes periit,

qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos:

Diomedis autem miserorumque, quos equis objecit, supplicia memorarentur eodem carmine, ut v. 365.

Ut juvenes pereas, quorum fastigia vultus
Olim Pisaeae sustinuere foris.
Ut qui perfusam miserorum saepe procorum
Ipse suo melius sanguine tinxit humum.

& 393.

Ut jacet Aönio luctator ab hospite fusus,
Qui (mirum) victor, cum cecidisset, erat.
Ut quos Antaei fortes pressere lacerti.

Sed poëta poenas Diomedis inimico precaturus, distichon, in illas inpendendum, non inpendisset in aliorum supplicia, praesertim memorata v. 381. Quid? quod Latinum non est: *pro gramen habentibus herbis*. *Burmannus* quidem clamat: „Immerito *Salvagnio* insolens videtur locutio, *pro gramen habentibus herbis*. ita enim & Metam. 1, 633. *terra, gramen habens.* & 4, 215. *Ambrosiam pro gramine habent.*„ Sed hic clamor neminem movebit, nisi doceatur, *herbam* nihil a *terra* differre. Quapropter adulterinum distichon esse judico.

ibid. v. 411.

Quaeque Ceres vidit laeto pereuntia vultu
Corpora Theseâ Cercyonea manu.
Haec tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
Eveniant, aut his non leviora malis.
Qualis Achaemenides Siculâ desertus in Aetnâ,
Troïca cum vidit vela venire, fuit.

[Qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, quae tibi major erit.]
Filius & Cereris frustra tibi semper ametur.

In his versibus apte connectendis alii laborent: ego satis scio v. 418 *Nasonis* non esse. Nam mendicantibus *ad pontem* locus dari nequi in ejus carmine, qui v. 251. precatur, ut inimicus *crucietur exemplis aevi prioris:* intolerabilis autem barbaries videtur,

Quique tenent pontem, quae tibi major erit.

Heinsius quidem legit, *pejor erit; Burmannus* autem V. C. *eat:* sed laterem lavant. Displicet itidem, *nec non*, sic positum; nec arridet, *fortuna binominis Iri.* Forte non deerunt olim, qui & hunc & alios suspicentur esse fictos.

ibid. v. 431.

[*Foeda Lycaöniae repetes convivia mensae,*
Tentabisque cibi fallere fraude Jovem.
Teque aliquis posito tentet vim numinis opto:
Tantalides tu sis, Tereïdesque puer.]

Heinsius ad 432: „ Hunc & proximum versum suspectos habeo.„ Sed versus pentametri & hexametri diversorum distichorum raro sic fingi solebant. Ego non dubito, quin omnes sint expungendi. Primus quidem petitus videtur e Metam. 1, 165.

Foeda Lycaöniae referens *convivia mensae:*

in his autem Diris optat poëta; non autem futuris temporibus utitur. Erunt forte, qui nobis objiciant v. 613.

Quodque dolore necis patriae pia filia fecit,
Vincula per laquei fac *tibi guttur* eant.

& 427.

Nec dapis humanae subeant fastidia; quaque
Parte potes, Tydeus temporis hujus eris.

Sed

Sed prius distichon mendosum videtur; *eris*, autem in, *eas*, mutandum; quod vel antecedens, *subeant*, & subsequens, *facias*, docere possint. ita *N. Heinsius*, *eris*, mutavit in, *eas*, in *Senec.* H. Oet. 1939. *Claudian.* Epith. Pall. 137. *erunt*, in, *eant*, B. Gild. 94. ut contra *Gronovius Senec.* H. Oet. 771. e codice Florent. dedit, *erit*, pro, *eat*. Futura versificator e superioribus (v. 159. & seqq.) forte petiit; sed non cogitavit ibi poëtam vaticinari; non optare. Reprehendenda igitur est *Heinsii* inconsiderantia, qui praecipiat: „ Lege, *venient*. „ Praeterea rei & vocis ejusdem repetitio non toleranda fraudis indicium ostendit: rei, *tentabis cibi fallere fraude Jovem; aliquis te posito tentet vim numinis:* vocis; *tentabis*, *tentes*. Postremo, *Tereïdes*, quod *Heinsius* & *Burmannus* ex uno libro recepere, Latinum non est. Ut enim ab *Atreus*, *Coroneus*, *Cretheus*, *Lynceus*, *Neleus*, *Oeneus*, *Peleus*, *Pentheus*, *Phineus*, *Theseus*, *Tydeus*, formantur *Atrides*, *Coronides*, *Crethides*, *Lyncides*, *Nelides*, *Oenides*, *Pelides*, *Penthides*, *Phinides*, *Thesides*, *Tydides*, mediâ syllabâ semper productâ, sic a *Tereus*, formari debet *Terides*, non autem, *Tereïdes*. Praestaret: Tereos atque *puer*, quod *Micyllus* inperite damnat. Nam *Tereos* invenitur apud *Martial.* IV, XLIX, 4. *Orpheos* apud ipsum *Nasonem* in Ibin 600. *Pentheos* Trist. V, III, 40. *Theseos* Metam. VIII, 268. *Typhoëos* Fast. IV, 491. Praestaret itidem: Threïciusque *puer*, quod *Sanctius* in Annotationibus (Oper. T. I. p. 235.) conjecit, & *Constantius* Fanensis in libro MS. reperit. Sed codicum varietas, qui fere contra metrum dant, *tu Tereique puer*, & inopportuna *Ityos* mentio, versum suspectum faciunt. Nam Lycaön & Tantalus quidem Jovem, Deosque cibi fraude fallere tentarunt; Procne & Philomela non item. Qui legunt,

Tantalides ut *sis*, *Threïciusque puer*,

ridiculum faciunt poëtam. Quippe si positus esset Ibis, precari necesse non erat, ut Pelops, & Itys fieret. Quod autem *Burmannus* non ineptam judicabat codicis Sarraviani lectionem,

> Tecum *aliquis* positus *tentet vim numinis opto*,
> *Tantalides* ut *sis*,

 cam-

eamque fic explicabat, ,, conviva tecum recubans, optet, ut Deus vi fua te faciat Pelopem vel Ityn, ,, ne quidem cogitabat, quid fcriberet. Itaque, fpuriis rejectis, fic genuinos verfus conjungo:

Nec dapis humanae fubeant faftidia; quaque
Parte potes, Tydeus temporis hujus eas.
Atque aliquid facias ——
Et tua fic latos fpargantur membra per agros.

Quod fi displiceat, *eas*, *Atque a. facias*, *Et fpargantur*, ex uno codice, & una editione recipi poffit,

Aut *aliquid facias.*

ib. 469.

Aut Jovis infefti telo feriare trifulco:
Ut fatus Hipponöo, Dofithoësque pater.
Ut foror Autonoës, ut cui matertera Maja eft:
Ut temere optatos qui male rexit equos.
Ut ferus Aeolides, ut fanguine cretus eodem,
Quo genita eft, liquidis quae caret Arctos aquis.
[Ut Macedo rapidis icta eft cum conjuge flammis;
Sic, precor, aetherei vindicis igne cadas.]

Et hujus diftichi conftructio fuspicionem fraudis injicit. Etenim praeclare cohaerent: *Fulmine feriaris; ut*, -- *ut*, -- *ut Macedo.* Non itaque erat, cur ad hoc attexeretur,

rapidis icta eft cum conjuge flammis;

& infuper, tanquam non fufficeret,

Sic, precor, aetherei vindicis igne cadas.

Equidem non inficior additamento priori convenire videri v. 493.

Vel de praecipiti venias in Tartara faxo,
Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Ut qui Thefeae fallacia vela carinae
Vidit: ut Iliaca miffus ab arce puer.

Ut

Ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi:
Ut cui caussa necis serra reperta fuit.
Lydia se scopulis ut virgo misit ab altis,
Dixerat invito quae mala verba Deo.

& 365.

Ut juvenis pereas, quorum fastigia vultus
Olim Pisaeae sustinuere foris.

— — — — — — —

— — — — — —

Ut jacet Aönio luctator ab hospite caesus.
Ut quos Antaei fortes pressere lacerti.
Frater ut Antaei, quo sanguine debuit, aras
Tinxit; & exemplis occidit ipse suis.
Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos.

itemque posteriori 621.

Aethalion vitâ spoliavit ut Isidis hospes,
Quem memor a sacris nunc quoque pellit Iön.
Utque Melantheâ tenebris a caede latentem
Prodidit officio luminis orba parens;
Sic tua conjectis fodiantur pectora telis;
Sic, precor, auxiliis impediare tuis.

& 637.

Denique, Sarmaticas inter Geticasque sagittas,
His, precor, ut vivas & moriare locis.

Sed exempla quaedam suspecta sunt; omnia autem differunt ab hoc,

Ut Macedo rapidis icta est cum conjuge flammis,
Sic, precor, aetherei vindicis igne cadas:

quo bis ac saepius idem dicitur: *Fulmine pereas; ut Macedo fulmine periit: sic, precor, fulmine pereas.*

Praeterea, *quae*, vel, *qui Macedo* fulmine cum conjuge sit percussus, intelligi nequit. Erit forte, qui sic argumentetur: *Hyginus,*

nus, *Nicol.* Damascenus, *Tzetzes*, & *Apollodorus* Lycaonis filios ab Jove fulmine percuſſos eſſe tradunt: in his autem Μακεδνὸς ab *Apollodoro* III, VIII. 1. numeratur: hic igitur eſt

Macedo rapidis ictus cum conjuge flammis:

etenim Μακεδνὸς idem putatur eſſe, qui Μακεδών. v. *Salmas.* in Comment. de Hellen. p. 279. qui contractum ſtatuit ex Μακέδονος. Sed, ut alia nunc omittam, poëta fatum filii vel filiorum Lycaonis Arcadis antecedente jam diſticho memoraverat:

Ut ferus Aeolides, ut ſanguine cretus eodem,
Quo genita eſt, liquidis quae caret Arctos aquis.

aut, ut *Salvagnius* ex uno libro,

— — — — nati ſanguine *eodem.*

Quid multa? tollendum videtur diſtichon a nugatore fictum, qui videret ſuperiore fratrem, vel fratres Calliſtûs fulmine percusſos, & ſciret in his a nonnullis *Macedonem* numerari.

Ea quidem conſuetudo verſificatorum fuit in his praeſertim Diris, ut exemplis, ab *Ovidio* relatis, alia ſubinde intempeſtive ſubtexerent, velut 401, 402. 431—434. 499, 500. 637, 638. 353.

Dî quoque tam faciant poſſis gaudere fideli
Conjuge, quam Talai, Tyndareique gener.
[Quaeque, parare ſuis letum patruelibus auſae,
Belides, adſiduâ colla premuntur aquâ.]

415.

Qualis Achaemenides Siculâ deſertus in Aetnâ,
Troïca cum vidit vela venire, fuit.
[Qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, quae tibi pejor erit.]

505.

Isque vel exanimis faciat tibi vulnus: ut illi,
Ora ſuperfixi quem cecidere ſuis.
[Sive idem ſimili pinus quem morte peregit:
Phryx & venator ſis Berecyntiades.]

Ejus-

Ejusdem generis additamentum reperitur v. 437.

Aere Perilleo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono.
[Utve ferox Phalaris, linguâ prius ense resectâ,
More bovis, Paphio clausus in aere gemas.]

Non enim videtur dubitandum, quin auctor ad *aeris Perillei* mentionem posterius distichon e priore finxerit, & Trist. V, 1, 53.

Ipse Perilleo Phalaris permisit in aere
Edere mugitus, & bovis ore queri.

Hoc docet inficeta rei verborumque repetitio: *more bovis, ad formam tauri; aere, aere:* hoc argumenta, quibus *Burmannus* motus ,, suspectum esse posse, ,, judicavit.
ib. 493.

Vel de praecipiti venias in Tartara saxo,
Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Ut, qui Theseae fallacia vela carinae
Vidit: ut Iliacâ missus ab arce puer.
Ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi:
Ut cui caussa necis serra reperta fuit:
[Lydia se scopulis ut virgo misit ab altis,
Dixerat invito quae mala verba Deo.]

Cohaerent,

Vel de praecipiti venias in Tartara saxo,

ut, -- ut, -- ut -- ut -- ut -- ut virgo livida. Itaque caussa non erat, cur attexeretur, *se scopulis misit ab altis.* Deinde, *missus*, v. 496. praecedit. Denique Metam. II, 830. mutata legitur in saxum. Criticos enim sequor, qui corrigunt:

Livida *se scopulis ut virgo misit ab altis,*
Dixerat inviso *quae mala verba Deo;*

et Aglauron intelligunt, quae, livore macerata, se praecipitasse fertur.

tur. v. *Meurs.* de R. Athen. I, xi. p. 57. Quid? ſi verſificator exemplo Tali ſimile, quod eaedem ſuppeditabant Athenae, ſuppoſuit.

ib. 503.

Quique Lycurgiden letavit & arbore natum,
Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque vel exanimis faciat tibi vulnus; ut illi,
Ora ſuper fixi quem cecidere ſuis.
[Sive idem ſimili pinus quem morte peregit:
Phryx & venator ſis Berecyntiades.]

Salvagnius: „ Non dubium, quin Attis Calai Phrygis filius, a Berecynthia Dea ſive Cybele adamatus intelligi debeat, nam & illum „ ab apro diſcerptum ſcribunt Hermeſianax Elegorum ſcriptor, „ Pauſanias in Achaicis, Nicandri Scholiaſtes initio Alexipharmacon. „ Hoc ſi conſtaret, ſatis eſſet argumenti, diſtichon, diverſis literis exaratum, non eſſe *Naſonis.* Ut enim nunc mittam, quod Attis v. 455. memoretur:

Deque viro fias nec femina, nec vir, ut Attys;
Et quatias molli tympana rauca manu:

&, quod in pinum verſus ſit a poëta Metam. x, 103. memorari debuerat poſt v. 503.

Quique Lycurgiden letavit, & arbore natum,
Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.

non autem poſt 505, 506, 507. quibus fata diverſiſſima referuntur. Sed ut de eo non conſtet, diſtichon tamen aliquot de causſis inprobandum judico: primum, quod libri fere discrepantes exhibeant lectiones, easque perridiculas; tum, quod, *Sive idem* — &, *Phryx & venator ſis Berecyntiades*, male cohaereant cum praecedentibus, *ut illi* ——; deinde, quod hoc ſolo loco *Berecyntiades* probetur; praeterea, quod, *Phryx*, &, *Berecyntiades*, prorſus idem ſit; denique, quod poëta non ſoleat pentametros ita claudere; poſtremo, quod novum poenae genus minore verſu non abſolvat. Fallor? an nugator, qui legeret aliquem capite pendentis apri ſuperincidente vulneratum eſſe, ſubtexere voluit alterius fatum, qui pinei pomi caſu per-

periisset; quippe quem saepe noxium fuisse vel e *Martiale* sciret XIII, xxv. *Nuces pineae.*

Poma sumus Cybeles; procul hinc absiste, viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Ut ut est, cuculi videtur, cujus fetum non dissimilem rejecimus v. 434.

Tantalides tu sis Tereïdesque puer.

At enim *N. Heinsius* distichon, jam *Salvagnio* suspectum, feliciter correxit, & explicavit: „ vide, ne Naso intellexerit de Aty filio „ Croesi Lydorum regis, quem Adrastus Midae filius imprudens in- „ ter venandum, dum aprum insectatur, jaculo confodit. —— ut scri- „ bendum videatur:

„ *Phryx venator Atyn ut Berecyntiaden.* „

Immo vero laterem lavit & multa peccavit. Etenim verecundiae fines in mutando transiit; nec tamen versus poëta dignos finxit: nec docuit Atyn Lydum vocari posse *Berecyntiaden;* nec sensit pessime cohaerere,

Isque vel exanimis faciat tibi vulnus; ut illi,
Ora super fixi quem cecidere suis.
Idaea aut simili pinus quem morte peremit,
Phryx venator Atyn ut Berecyntiaden.,

nec cogitavit, nova fatorum genera solo versu pentametro non efferri.

ib. 635.

Utve Remo muros auso transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.
[Denique, Sarmaticas inter Geticasque sagittas,
His, precor, ut vivas & moriare locis.]

Salvagnius: „ Postquam Ibidi suo gravissima quaeque mala Naso no- „ ster inprecatus est, ei porro deportationem in Sarmatiam, quasi

„ dirarum ſuarum corollarium inprecatur. Quo certe epilogo nihil „ argutius in toto hoc poëmatio mihi viſum eſt. Quum enim Ovi- „ dius ne vel minimam Auguſtum ad commiſerationem flectendi „ occaſionem praetereat, quid ingenioſius ab eo dici, aut excogi- „ tari potuit, quam ut exſilium ſuum quovis ſupplicii & mortis ge- „ nere gravius ac intolerabilius declararet. „ Conferre potuerat Triſt. III, xi, 71.

Fortuna miſerrima noſtra eſt.
Omne trahit ſecum Caeſaris ira malum.
Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar;
Ipſe velim poenas experiare meas.

Ego vero non credo *Naſonem* tam delirum fuiſſe, ut „ exſilium „ ſuum quovis ſupplicii & mortis genere gravius & intolerabilius „ declararet. „ Ut enim mala ſua cum laboribus Iäſonis & Ulyxis Pont. I, iv, 25. & Triſt. I, v, 57. contulerit, & graviora putaverit; plurimum tamen intereſt inter haec, & inter cruces, tormenta, mortesque teterrimas. Nec id verba aperte indicant. At, niſi diſtichon hanc habeat ſententiam, laudata clauſulae virtus tolletur, & admiratio decreſcet. Quis negat? Sed hoc viderint, qui *Naſonis* eſſe ſtatuunt. Ego autem ſuſpicor adulterinum eſſe, quod ejus generis additamentum redoleat, quod ad v. 475. notavimus. Etenim telis Remo noxiis verſificator *Sarmaticas ſagittas* ſimiliter adjunxit. Quid? quod verbum, *precor*, redundat. Nam verſus, eo ſublato, non tantum congruenter poëtae mori, ſed & aptius ex antecedentibus pendent hoc modo:

Nec tu, quam Rheſus, ſomno meliore fruaris:
Cliniadaeve modo circumdatus ignibus atris
Membra feras *Stygiae ſemicremata rati.*
Utve *Remo muros auſo tranſire recentes,*
Noxia ſint *capiti ruſtica tela tuo:*
Denique Sarmaticas inter Geticasque ſagittas,
His, —— ut vivas & moriare *locis.*

Quid? quod praecedit v. 626.

Sic,

Sic, precor, *auxiliis inpediare tuis.*

Quid? quod nusquam ſic ponitur, niſi in verſibus pariter ſuſpectis 475, 476.

Ut Macedo rapidis icta eſt cum conjuge flammis,
Sic, precor, *aetherei vindicis igne cadas.*

Quid? quod in quatuor Mſſ. & pr. edit. loco, longisſime remoto, collocantur. Quid? quod ſocios & comites ſuſpectos in Mſſ. habent. *Burmannus* ad 341. *Viſcera ſic* --: „Ante hoc diſtichon in „ Franc. & tribus aliis & pr. Edit. ſequebatur,

„ *Denique Sarmaticas inter Geticasque ſagittas*
„ *His precor ut vivas & moriare locis.*

„ ——deinde in plurimis & pr. Edit. ſequebatur 441.

„ *Utque ferox Phalaris &c.*

„ Et tunc in quatuor & pr. Edit. 463. *Aut ut Caſſandrus* &c. Ad-„ debat pr. Edit.

„ *Aut pereas, periit ſicut Caſſandrius ille,*
„ *Quem ſua gens merito merſit in amne Lyci.*„


Nam verſus, *Aut pereas*, -- &, *Utque ferox Phalaris*, ſuppoſiti ſunt. Uſus autem me docuit, ſaepe damnatis ſententia Criticorum meliores non eſſe comites. Quid? quod in quorundam librorum margine ponuntur. Quid? quod quibusdam deſunt. Sed argumentandi finis ſit, ut ſatietati lectoris occurratur. Argumentis autem multis uti placuit, ut univerſis inter ſe connexis certe, ſi non ſingulis, Critici moverentur. Auctori vero facile fuit hos verſus fingere ex Pont. II, 11, 47.

Aut ego Sarmaticas *videor vitare* ſagittas.

& Trist. V, vii, 23.

Atque utinam vivat, *sed non* moriatur *in illis!*

FINIS EMENDATIONVM.



INDEX

INDEX

SCRIPTORVM VETERVM,

Quibus in Praefatione, & Emendationum libro
lux & salus est reddita.

INDEX

SCRIPTORUM NOVORUM,

Qui laudantur, notantur, & refutantur.

N. E.



INDEX
VERBORVM ET RERVM.

A.

B.

C.

F.

G.

H.

I.

Ju-

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

F I N I S.